



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

Liber CLV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CLV.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS,  
FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

*Carolus IX. ad Franciæ solium  
euectus.*

**C**arolus IX. Francisci II. Fratris sui  
Successor, cum Gallici Regni so-  
lium conscenderet, nonnisi deci-  
mum ætatis suæ annum unacum se-  
mestri emensus erat, nam in oppido  
S. Germani in Laja die vigesima septima  
Junii Anno Salvatoris nostri millesimo  
quingentesimo quinquagesimo in lu-  
cem editus fuit, sub primis autem Re-  
gni sui auspiciis memoratu dignum,  
publicumque, quod aggrediebatur, fa-  
cinus erant solemnia omnium Ordinum  
comitia, quæ circa prioris Regiminis  
finem jamjam fuerant indicta, nunc  
vero Aureliæ celebrata.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

*Davila hist.  
des Guerr.  
civil. l. 2.*

*pag. 74.  
Hist. de la  
Maison de  
France t. I.  
p. 778.*

§. II.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1560.

§. II.

*Regni comitia Aureliæ inchoata.*

**H**isce comitiis die decima tertia Octobris Cancellarius initium fecerat, habita hanc in rem oratione, cui præsentés aderant ipsemet Rex, Regina Mater, Aureliæ Dux, ejusque Soror Margarita unacum Antonio Borbonio Navarræ Rege, Renata Ferrariensi, ac Cardinalibus Borbonio, Turnonio, Lotharingio, Castillionæo, & Guisio. Vocabantur etiam Carolus Borbonius, Rupisurionius Princeps, Franciscus Lotharingius, Guisus Dux, Annas Montmorentius Franciæ Connestabilis, Carolus Brisacus Marefcallus, Casparus Colinius Maris Præfectus, præter plerosque Ordinis Equites, ac Regii Senatus Patres. Præprimis Cancellarius in suo sermone hæc exponebat: „Deus „eandem, quam Reginæ Matri, & Francisco Regi nuper defuncto de celebrandis Regni comitiis mentem dedit, „Regi quoque puero, & Catharinæ ejus „Matri reservavit: insuper raro Dei beneficium effectum, ut tumultus morte Regis nuper exorti præter omnem opinionem sopiti potius, quam aucti sint, „ac veluti brumoso die ad solis adventum discussis nebulis lux mundo redditur, sic novi Regis insolito fulgore depulsis

„pulsis ex Principum, ac Magnatum Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
 „animis, quæ infederant, odiis, suspi-  
 „cionibus, ac simulatibus reddita Re-  
 „gno quies est, qua in re præcipue Re-  
 „gis Navarræ magnanimitas est depræ-  
 „dicanda, qui ut primarium Regiæ stir-  
 „pis Principem decebat, ceteris exemplo  
 „suo præiverat, injuriis privatis Rei-  
 „publicæ condonatis: hinc ita pace fo-  
 „ris parta, & domi facta concordia, ni-  
 „hil metuendum, nihil non sperandum  
 „est: Interim, prosequeretur Cancel-  
 „larius, donec Rex adolesceret, & ipse  
 „met per se Regno administrando par esse  
 „possiet, e re visum, ut comitia Regni  
 „cogerentur, & ex eorum sententia,  
 „& auctoritate publico regimini prospici-  
 „ceretur. Hic autem Comitiorum usus  
 „erit, ut Rex cum populis imperio  
 „suo subiectis quasi in familiare collo-  
 „quium descendere videatur, & de Re-  
 „publica in commune consulat; nec non  
 „privatorum querelas, atque res, ut  
 „vere se habent, citra fucum intelligat,  
 „quod per suorum fraudes, ac dolos  
 „plerumque non licet: igitur minime  
 „audiendi sunt, qui Regem rem ejus  
 „dignitati repugnantem facere ajunt,  
 „cum conventus habet: quid enim ma-  
 „gis Regium, quam jus suum cuique  
 „tribuere? aut qui fieri illud commo-  
 „dius potest, quam cum facultas da-  
 tur

Sæcul. XVI „tur omnibus mala sua, incommoda, &  
 A.C. 1560. „questus libere, ac publice, ubi fucos  
 „ac fraudi locus non est, expromendi?  
 „sic enim fit, ut Reges officii sui ad-  
 „moneantur, & populos antiquis tri-  
 „butis levent, nova non imponant, ni-  
 „miis, & damnosis sumptibus abstineant,  
 „munera publica, ac Magistratus mi-  
 „nime venales habeant, ad Episcopa-  
 „tus, ac cetera Sacerdotia nonnisi di-  
 „gnos provehendos curent, quæ hodie  
 „pravo usu negliguntur: quippe cum  
 „Reges nonnisi alienis oculis, & auri-  
 „bus videant, & audiant, alieno arbi-  
 „trio vivant, & de summa rerum sta-  
 „tuant, a suis veluti fraudulenta inda-  
 „gine cincti, & qui alios ducere debe-  
 „bant, ipsi ducantur: nec vero metuen-  
 „dum est, ne nimia familiaritate per-  
 „comitia cum populis contracta, vi-  
 „lescant Principes, aut a suis contem-  
 „nantur, nam Regis in folio æqua de-  
 „cernentis fastigium supra contemptum  
 „positum est, nihilque illi deest, præter  
 „suorum amorem, qui familiaritate illa  
 „adultus vigorem accipit, & justitiæ  
 „opinione postremo coalescit: porro ad  
 „id probandum exempla ad manum  
 „sunt, & si annales nostri evolvantur,  
 „compertum erit, quod magno semper  
 „Regni bono comitia fuerint celebrata,  
 „magnumque emolumentum ex iis Re-  
 ges

ges perceperint, nam ne vetera repe- Sæcul. XVI.  
 „tantur, ultima sub Carolo VIII. habita A.C. 1560.  
 „in memoriam revocanda veniunt, qui-  
 „bus legitima Regni administratio con-  
 „stituta, & perniciosis tumultibus, qui  
 „imminebant, obviam itum est.

His addebat Cancellarius: Ea de  
 „caussa Franciscus nuper defunctus ad  
 „fontem bellaqueum ex præcipuorum  
 „consiliariorum sententia decrevit, ut  
 „conventus Regni haberetur, quo ex-  
 „citatis ob Religionem seditionibus re-  
 „media quærerentur, interim edicta  
 „super ea re facta servarentur, coitio-  
 „nibus illicitis prohibitis, & gravi pœ-  
 „na in eos, qui seditionibus causam  
 „præbuerint, constituta: iis insuper de-  
 „cretum fuit, ut Præsules in gregis sui  
 „cura assidui essent, & fame laborantes  
 „animas verbi divini prædicatione pa-  
 „scerent, ac præsentia sua firmarent.  
 „Præterea Præfectis injunctum, ut vi-  
 „derent, ne quæ seditiones exoriren-  
 „tur, & ex earum occasione publica  
 „quies detrimentum acciperet: nunc  
 „vero continuantur comitia, ut iis ma-  
 „lis remedium quæretur: hinc eorum  
 „caussa in primis inquiri debet, neque  
 „satis est, quod seditiosi puniantur, ne-  
 „que sufficiunt eæ leges, quæ scelera  
 „patrata ulciscuntur, sed eæ etiam re-  
 „quiruntur, quæ, ne patrentur, im-  
 „pediant:

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

„pediunt: sicut nec medico satis est,  
 „dolorem sedare, nisi & fontem morbi  
 „extinguat: seditiones autem ex iis  
 „caussis fere oriuntur, cum homines  
 „aut ex contemptu, aut injuriæ sensu,  
 „vel metu indignationem concipiunt,  
 „aut propter egestatem, atque aliquan-  
 „do propter nimium otium tumultuan-  
 „tur: nunc vero cum dignitas sua cui-  
 „que reddita sit, non est, cur propterea  
 „Magnates, ac ceteri conquerantur, &  
 „restituta Regi, ac Magistratibus au-  
 „toritate, jam ab omni injuriæ sensu,  
 „seu metu securi omnes esse debent;  
 „egestati denique prospectum, nam pace  
 „foris facta, eaque domi constituta mi-  
 „nime dubium relinquitur, quin æra-  
 „rium superioribus bellis exhaustum,  
 „modo largitionum copia brevi supplea-  
 „tur, & eo suppleto æs alienum, quod  
 „multos obligatos tenet, sensim dissol-  
 „vatur, & ita omnibus, qui ob id cum  
 „egestate conflictantur, satisfiat, & inde  
 „quoque plebs in posterum non mediocre  
 „levamentum sentiat: nec vero est, cur  
 „otio lascivire animi debeant, cum vix  
 „annus intercesserit, ex quo decennali  
 „bello fatigati, respirare cepimus: iis  
 „porro malis optimum remedium est,  
 „si quisque in se descendat, & sorte a  
 „Deo concessa contentus sit: si Princi-  
 „pes aliena imperia minime adfectent,  
 neque

„neque vasta ambitione ferocientes in-  
 „extricabilibus negotiis se, ac suos im-  
 „plicent: si facer ordo potentiam, quam  
 „in animas maximam habet, sancte,  
 „moderate exercent, ac hi possessionibus  
 „amplissimis, quas Regum, & aliorum  
 „beneficio tenent, non ad pompam,  
 „& fastum abutantur, sed eas in usum  
 „pauperum erogent, nec Sacra vœnalia  
 „habeant, quodque gratis acceperunt,  
 „gratis dent: si nobiles immunitati-  
 „bus, privilegiis, honoribus, ac deni-  
 „que familiaritate, quam Regum no-  
 „strorum benignitas cum ipsis colit,  
 „& potestate, quam in Regis subditos  
 „habent, pacate, & citra injuriam  
 „fruantur, nec vano natalium splen-  
 „dore supra alios, atque adeo contra  
 „leges insolescant, sed meminerint, &  
 „Reges aliquando ex servis, & ortos  
 „ex Regibus factos fuisse servos, nec  
 „sibi arma attributa, ut illis ad libidi-  
 „nem utantur, sed ut ea pro Principe,  
 „& patria juxta Dei præceptum ex-  
 „erant: si denique tertius Ordo, sive  
 „plebs ecclesiasticis, & nobilitate in-  
 „ferior pure in Religione instituta, &  
 „a nobilitate, cui fere subest, æqua  
 „ratione habita, per agros terræ cultui  
 „innocenter vacet, in Urbibus, & oppi-  
 „dis opificio, commercio, ac mercatura,  
 „qua opes parantur, vitam tolerant.

*Hist. Eccles. Tom. XLIII. Ll Ve-*

Sæc. XVI.

A. C. 1560.

Sæcul. XVI.

A.C. 1560.

„Verum enimvero, subungebat  
 „Cancellarius, ad præfatas seditionum  
 „ac tumultuum causas nova additur,  
 „nimirum Religionis dissidium, per  
 „inde acsi Religio aut excitet, aut  
 „excitare debeat bellum civile, quod  
 „malorum omnium, quæ in Rempubli-  
 „cam cadere possunt, pessimum est,  
 „quodque mala omnia in se complectitur,  
 „verum non dissensionis, sed pacis Au-  
 „ctor Deus est, & ceteræ Religiones ut-  
 „pote falsæ, vi, aut astu fundatæ, sola  
 „Christiana tanquam vera, & unica,  
 „patientia, iustitia, lacrymis, & preci-  
 „bus stabilita fuit, nam veteres Chri-  
 „stiani occidi, quam occidere malue-  
 „runt, inde videlicet cognominati, qui  
 „fidei suæ testimonium proprio sanguine  
 „obsignaverunt, neque tamen negari  
 „potest, quin potentissimum in animis  
 „nostris vel falsa Religio telum sit, af-  
 „fectus cunctos, & charitates superet,  
 „& arctiori nodo, quam cetera humanæ  
 „societatis vincula, mentes constringat  
 „ceterum in confesso est, Regna Reli-  
 „gione, non limitibus contineri, im-  
 „mo Religione, non limitibus dividi,  
 „proinde quotidie usuvenit, ut illi, qui  
 „Religionis opinione utuntur, Princi-  
 „pem, Patriam, Uxores, liberos, at-  
 „que hujusmodi necessitudines parvi-  
 faciant,

Sæcul. XVI.

A.C. 1560.

„faciant, atque inde rebelliones, diffen-  
 „siones, ac defectiones oriantur, quippe  
 „in eadem domo Pater cum uxore, ac  
 „liberis, frater cum fratre non conve-  
 „niunt, si in Religione diffideant: itaque  
 „ut his discordiis, quæ secum civile  
 „bellum trahunt, obviam eatur, opus  
 „est Concilio, sicuti nuper ad fontem-  
 „bellaqueum decretum fuit, cuius spem  
 „cum faciat Pontifex, minime interea  
 „committendum, ut quisque sibi animo,  
 „quam velit, Religionem fingat, novos  
 „ritus, ac nova sacra pro libidine indu-  
 „cat, nam ita non solum turbatur tran-  
 „quillitas publica, sed animæ de salute  
 „æterna periclitantur: quod si a Pon-  
 „tifice, & Concilio remedium deficiat,  
 „operam dabit Rex, ut remediis a Ma-  
 „joribus suis in hoc Regno usurpatis  
 „publicæ necessitati consulatur.

Hanc in rem Cancellarius addebat;  
 „Spes est, quod Præsules in posterum ma-  
 „jore cura officio fungantur, atque inde  
 „unde, mali origo profecta est, remedium  
 „accerfatur. Hactenus fecimus nos,  
 „quod belliduces imperiti solent, ut  
 „nudatis præsidio munitionibus cum o-  
 „mnibus copiis in hostem eant, cum  
 „contra oporteat nos prius virtutibus,  
 „bonis moribus, ac verbo Dei, quæ sup-  
 „plicum arma sunt huic certamini ido-  
 „nea, intus munire, tum foras prodire,

L 1 2

„&amp;

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

„& in adversarios ducere, quippe ejus,  
„qui bene vivit, efficax est ad perſua-  
„dendum oratio: gladius vero contra  
„animas nihil proficit, niſi ut eas cum  
„corpore male perdat. Majores noſtri  
„his armis ſectarios debellaverunt: no-  
„bis quoque eorum veſtigiis inſiſten-  
„dum, ne homines potius, quod a Chri-  
„ſtiana pietate alienum eſt, quam vitia,  
„& errores odiſſe videamur: itaque in-  
„deſinenter pro iis orandum, ut ab er-  
„rore ſuo in viam reducantur, ſublatis  
„his a generis humani hoſte excogitatis  
„Lutheranorum, Hugonotorum, & Pa-  
„piſtarum vocabulis, quæ antiquas  
„Guelforum, & Gibellinorum factiones  
„redolent, ſpecioſo Chriſtianorum no-  
„mine retento: verum cum plerique  
„ſint, qui Religionis quidem nomen ob-  
„tendunt, revera ambitione, avaritia, &  
„rerum novarum ſtudio aguntur, opti-  
„mum factu videtur, ſi, antequam vi-  
„res peſtiferi illi homines colligant, o-  
„mni ratione opprimantur, hinc contra  
„eos armis opus eſt, & ubi nihil cle-  
„mentia proficitur, legum, & armorum  
„ſeveritas, ac vis in ſubſidium adhi-  
„benda. „

Denique orationem ſuam his verbis  
abſolvit: „Hoc remedio ſi tandem tran-  
„quillitas in Regno conſtituta eſt, tunc  
„deinceps de ærario videndum, quod  
affiduis

„assiduis decem annorum bellis, & aliis Sæcul. XVI.  
A.C 1560.  
„necessitatibus adeo exhaustum Rex ac-  
„cepit, ut nihil ei a Patre, ac fratre suo  
„Henrico II. ac Francisco II, præter ge-  
„mitus, & ploratus relictum videatur:  
„sed paratus est, ut dispendium illud  
„sarcitur, vult quoque sequi regulam,  
„quam ei Regni Ordines in sumptibus  
„faciendis præscripturi sunt, ita ta-  
„men, ne Regia Majestas ex eo vile-  
„scat: his de causis Rex, Reginaque i-  
„pſius Parens, Ordines Regni velut in con-  
„siliium advocarunt, ac nunc per me  
„Cancellarium suum hortantur univer-  
„sos, ac singulos, qui adsunt, ut deposito  
„omni privato affectu, quod reipublicæ  
„conducens videbitur, id libere expo-  
„nant: nam illorum mens, ac voluntas  
„est, ut id liceat, & illud, quod ex ordinum  
„sententia decretum fuerit, id firmum,  
„ratumque sit.

## §. III.

*Aliorum comitiorum convocatio a No-  
bilium, & Plebejorum Ordini-  
bus petita.*

**A**bsoluto hoc sermone Conventus sol-  
vebatur: altera autem die decima  
quarta Decembris Clerus in Fratrum  
Minorum Monasterio, Nobiles vero in  
Dominicanorum, ac denique Plebejus

L 1 3

Ordo

Sæcul. XVI  
A. C. 1560.

*Thuan. l. 27.  
Mezer. hist.  
de France  
tom. II.  
p. 801.*

Ordo in Carmelitarum cœnobio conve-  
nerant, ut circa facultates eis datas de-  
liberarent, plerisque ex Nobilitate, ac  
plebe caussantibus, quod judicandi po-  
testas ipsis delegata per Regis mortem  
expirasset, proin illam haud amplius  
exercere valerent, necnon ad novam  
Deputatorum electionem procedendum  
esset: porro cum illorum petitio ad Na-  
varræ Regem scripta deferretur, hic  
illam sanctiori Consilio exhibuit, ubi  
per Decretum die vigesima Decembris  
fuit sancitum, ut Deputati in actione  
cæpta eadem jurisdictionis potestate,  
quam hucusque habebant, deinceps ute-  
rentur, eo potissimum nomine, quod  
*ex Regni lege vivus mortuum excipiat, ac  
prima delegatio facta fuerit nomine Re-  
gis, hic autem in Galliis nunquam moria-  
tur, sed continuata possessione Regnum a  
decessore in legitimum Successorem sine in-  
termissione transmitti videatur.*

§. IV.

*Lotharingius Cardinalis indigne  
vexatus.*

Ceterum Lotharingius Cardinalis jam  
ante Regis Francisci mortem de o-  
ratione nomine trium Ordinum in co-  
mitiis habenda præter morem cogita-  
verat; id tamen, quamvis infolens tunc  
videretur, pro tempore dilatum magis,  
quam

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

quam negatum omnino fuerat; nam assentiebatur sacer ordo, quem ille arbitrio suo circumagebat. Referunt insuper Scriptorum nonnulli, quod hujus Cardinalis oratio potius suæ familiæ apologia, atque mordax Satyra in Calvinistas fuerit, hinc eam perorare prohibebatur, quamvis Grineus ejusdem emissarius, ac Parisiensis Sacelli Cantor hanc facultatem concedi vehementer, irrito tamen conatu, peteret, nobilitatis tamen, plebisque Ordines pertinaciter obluſtabantur, & quidem Nobiles id Majorum instituto adversum dicebant, semperque in usu fuisse obtendebant, quod quilibet Ordo proprium suum haberet Oratorem: Plebæi vero caussabantur, a se nunquam permittendum, ut Vir, adversus quem ipsimet querendi ausam haberent, in ipsorum Advocatum eligeretur: insuper nova Cardinali accesserat vexatio, dum nequidem a Sacro Clericorum Ordine tanquam Orator nominaretur, sed ad hoc munus Joannes Quintinus Augustodunensis, atque in Universitate Parisiensi juris Canonici Doctor designaretur: porro pro Nobilibus perorabat Jacobus Silyus Rupifortii Baro, nomine autem plebæi Ordinis sermonem habebat Joannes Angelus, Burdegalensis Curiae Advocatus.

L 1 4

§. V.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1500.

§. V.

*Joannes Angelus pro Plebæis  
perorans.*

*Thuan. l. 27.* Die secunda Januarii in loco destina-  
to, eodemque ordine, quo in priori  
Sessione convenerant, denuo conventus  
habetur, in quo tres illi Delegati, qui  
trium Ordinum nomine Regem alloque-  
rentur, seorsim a ceteris confederunt:  
demum vero prior Joannes Angelus  
Plebæi Ordinis nomine verba fecit, pro-  
posita oratione, qua nil nisi calumnias  
in Ecclesiasticos effundens in luxum, i-  
gnorantiam, atque avaritiam, corru-  
ptosque eorum mores invehebatur (\*)  
atque inter cetera præcipue hæc effu-  
tiebat: „Tria inprimis inter Ecclesia-  
sticos vitia pullulant, ignorantia, ava-  
ritia, ac luxuria, quæ erroribus passim  
succrescentibus, & offensionem causam  
præberent, & ignorantia quidem non  
solum Mater, sed materies errorum  
est, cui ut remedium adhiberetur, an-  
tiquis Patrum decretis, ac constitutio-  
nibus prospectum fuit, creatis in eam  
rem

(\*) Ecce! Cardinalis, qui contra Calvinistas orationem pro defensione Religionis adornabat, non auditur, grata autem habetur oratio Viri de hæresi suspecti contra Ecclesiasticos.

rem scholarum Magistris, & nuper ex Sæcul. XVI.  
Gallicanæ Ecclesiæ jussu tertia Sacer- A.C. 1560.  
dotiorum pars literatis hominibus, at-  
que illis, qui per doctrinæ gradus ad  
dignitates promoverentur, attributa  
fuit, decretumque insuper, ut in una-  
quaque Matrice Ecclesia singuli Docto-  
res theologi constituerentur: nihilo-  
minus ignorantia altiores semper ra-  
dices egit, adeo, ut Verbi divini præ-  
dicatio, ad quam præcipue instituti  
sunt Episcopi, prorsus omittatur, &  
rem pudendam, ac dignitate sua infe-  
riorem illi existiment, si eo munere  
fungantur.

His præmissis ita declamare perge-  
bat: „Episcoporum exemplum imitan-  
tur Parochi; nam suam quoque functio-  
nem negligunt, & per Vicarios plerum-  
que indignos res sacras administrant,  
eandem semper cantilenam recantan-  
tes: nec minus perniciose in fœdo lucri  
amore peccatur, quem contraria pestis  
luxus fere comitatur, in quo sibi tan-  
topere hodie Antistites placent, ut se  
hac ratione Dei Majestatem tueri, &  
in terris repræsentare existiment, quod  
potius simplicitate, & sanctitate vitæ  
efficere deberent: qua in re ab anti-  
quorum sinceritate, & tenuitate omni-  
no degenerant, a quibus in Synodo  
Carthaginensi sub Innocentio I. cele-  
brata

Sæcul. XVI „brata constitutum fuit, ut Episcopi pro  
 A.C. 1560. „ximas templo ædículas, & illas te-  
 „nui supellectili instructas haberent:  
 „nunc contra cum invidiosa pompa Re-  
 „giam Magnificentiam provocare co-  
 „nantur, hinc nulli mirum esse debet, si  
 „multi indignatione ob pravam Mini-  
 „strorum vitam contracta a Religione i-  
 „psa in dies alienentur: peto igitur, ac  
 „obtestor tertium Ordinem, ut iis ma-  
 „lis sancti, ac legitimi Concilii celebra-  
 „tione propediem accedente Regia au-  
 „ctoritate prospiciatur. „

## §. VI.

*Rupifortii Baronis oratio pro  
Nobilibus.*

**A**bsoluta Angeli Satyra, Jacobus Silius  
 Rupifortii Baro Nobilium nomine  
 sermonem non minus vehementem ha-  
 bebat: postquam vero ab initio Regis  
 consilium pluribus deprædicaverat, eo-  
 quod Matrem suam rerum summæ præ-  
 fecisset, prout olim Alexander Severus  
 Mammææ, ac præterito sæculo Caro-  
 lus VIII. Annæ de Francia sorori suæ  
 Regni administrationem commiserat,  
 tandem ita prosequetur: „Gratulor  
 „tibi Rex, quod Navarrum Regem, influ-  
 „per Regiæ stirpis Principes, ac Regni  
 „proceres in consilium adhibueris; post-  
 modum permulta quoque de nobilium  
 ordine

ordine subjecit, nec vitiorum, quibus <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 sciant, oblitus demum ad Clerum, nec <sup>A.C. 1560.</sup>  
 non ad jurisdictionem Ecclesiasticam,  
 quam reformari voluit, sermonem  
 convertit: his præmissis differuit de  
 Nobilitate tanquam præcipuo Regni  
 „robore, cujus puritas, inquiebat ipse,  
 „hac maxima ratione contaminata est,  
 „quod plerique minime genere, & infi-  
 „gnibus nobiles, seu in administratione  
 „civili versati, aut belli periculis exer-  
 „citati, vel denique artis alicujus in-  
 „ventione clari se admiscuerint, eaque  
 „mistura multum ejus dignitati, & Prin-  
 „cipis ærario decreverit, dum quisque  
 „hac prærogativa a tributorum, & ve-  
 „tigalium oneribus se immunem affe-  
 „rit: magnum & ex eo incommodum  
 „accessit, quod eorum majores Regum  
 „æmulatione immensis donationibus in  
 „Ecclesias collatis patrimonia exhau-  
 „serint, attributa etiam jurisdictione,  
 „cujus ratione fit, ut nunc passim per  
 „lites, ac triclas a beneficiariis suis mi-  
 „sere vexentur: quo quid durius, vel  
 „iniquius? quid enim magis absur-  
 „dum, quam quod Sacerdotes lux mun-  
 „di, & sal terræ scilicet, quorum la-  
 „bor sit preces, ac vota apud Deum fun-  
 „dere, Dei verbum prædicare, simpli-  
 „ci cultu sacra administrare, nunc vitæ,  
 „ac fortunarum jus in Regis subditos  
 „exer-

Sæcul. XVI. „exerceant ? in id igitur ante omnia  
A.C. 1560. „Regi incumbendum, ut Ecclesiasticum

„ordinem emendet, Ezechiae exemplo,  
 „qui collapsam ministrorum templi di-  
 „sciplinam instauravit, assignata iis, qui  
 „sacrae Scripturae lectioni attenderent,  
 „idonea pensione. Id fecit in Gallia  
 „Carolus VII, & ante eum Ludovicus  
 „IX, pragmaticis sanctionibus editis.

His addebat: „Nec plus oportet in  
 „Philippo Augusto, & in Ludovico VI.  
 „æstimari, quod prior Judæos e Regno  
 „abegerit, & Albigenes debellarit: alter  
 „verò Gelasium, & Paschalem Pontifi-  
 „ces contra Henricum Cæsarem pro-  
 „texerit, quam quod uterque emenda-  
 „tioni Ecclesiasticae studuerit: Carolus  
 „item magnus, & Ludovicus ejus fra-  
 „ter, Guilielmus Normaniæ Dux, non  
 „tam laudandi sunt, quod templa sum-  
 „mis sumptibus ædificaverint, Ecclesias  
 „vastis possessionibus locupletaverint,  
 „quam quod sacram disciplinam, mo-  
 „res, & concordiam in Ecclesia sarcive-  
 „rint: id autem optime fieri potest, si  
 „Præsules in sua quisque Dioecesi ex-  
 „cubent, & ministerium suum per se,  
 „non per alios, sedulo exercent, verbi  
 „divini promulgatione, sacrorum pura  
 „dispensatione, bonorum, quæ amplifi-  
 „ma possident, larga in pauperes erogatione,  
 „vita denique, & exemplo suis  
 „prælu-

„præluceant. Vicissim vero videndum Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.  
 „Regi, ut eruditos homines, pietate,  
 „prudentia, & morum integritate con-  
 „spicuos ad sacras dignitates provehat:  
 „hoc enim ad Regum munus pertinet,  
 „nam Deus alioqui negligentiae tam  
 „perniciosæ in suam contumeliam ver-  
 „gentis rationem reposcet; & ut olim  
 „Theodoricum, & Theodebertum, quod  
 „ejusmodi beneficia per gratiam, &  
 „sordes dispensarent, male mulctavit,  
 „sic quoque ipsemet illum tanquam ju-  
 „stitiæ, & æquitatis desertorem mise-  
 „rabili exitu castigabit.

Insuper hæc exponebat Rupifor-  
 tius: „nequaquam satis esse debet Prin-  
 „cipi, si privatis commodis studeat, nisi  
 „& subditis sibi populis præsit, & æqua-  
 „bili juris inter suos dispensatione o-  
 „mnium benevolentiam demereatur,  
 „nam bona, & mala Principis ad popu-  
 „lum pertinent, sic propter Saulis dese-  
 „ctionem triennali fame, propter Davi-  
 „dis flagitia peste, propter Achabi sce-  
 „lus innumeris cladibus populus Dei  
 „afflictus fuit. Justitia Reges a tyran-  
 „nis distinguit, nam potentiæ par in u-  
 „trisque ratio est; illi vero, qui hac per-  
 „maleficia, rapinas, ac concussionem inju-  
 „riose abutuntur, plerumque Deo ita  
 „volente, male a suis, & merito habentur:  
 „sic enim Regno exutus a Syra-  
 cusa-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

„cufanis Dionysius, ab Agrigentinis  
 „Phalaris, a Macedonibus Demetrius,  
 „a Thrasybulo denique triginta tyranni  
 „Athenis expulsi: igitur in eo præcipue  
 „Regi laborandum, ut iudices confi-  
 „tuat viros probos, Deum timentes & ta-  
 „les, qui non solum ab omni questu tur-  
 „pi alieni sint, sed avaritiam capitali o-  
 „dio detestentur, qua in re duo ser-  
 „vanda sunt, ut & munia minime ac-  
 „cepto pretio distribuuntur, & iudicum  
 „numerus, qui in immensum excrevit,  
 „minuatur, nam vilescit numero am-  
 „plissimus ordo, & plebi simul, ac Prin-  
 „cipis ærario gravis est: adhæc male  
 „ominosus semper habitus, & in Ro-  
 „mano Imperio, & aliis Regnis, ac Re-  
 „bus publicis tot Magistratum imma-  
 „nis numerus. Postremo optime Re-  
 „gno consultum videtur, ut juxta Fran-  
 „cisci I. sententiam nobiles inter iudi-  
 „ces adlegantur, apud quos decoris, &  
 „existimationis præcipua semper cura  
 „extitit, & quos proinde gratia, & pre-  
 „tium corrumpi procul est, ut litium am-  
 „bages contrahantur, & secundum mu-  
 „nicipales leges arbitrio bonorum viro-  
 „rum causæ decidantur: aulicorum  
 „vero avaritia refrænari poterit, si sta-  
 „tuatur, ne quis reorum bona ante  
 „condemnationem a Principe petere  
 „possit, quæque ex damnatorum bonis  
 „pro-

provenient, ad opera pia destinantur: **Sæcul. XVI.**  
 porro ita Religione constituta, ac resti- **A.C. 1560.**  
 tuta disciplina, nobilitati, quæ ad de-  
 fendendos Regni fines excubat, digni-  
 tate sua servata, judiciario ordini ad  
 tuendam Regis Majestatem, & ad jus  
 æquabiliter inter subditos dicendum  
 auctoritate reddita, populo ab oneri-  
 bus levato foret, ut Regnum hoc o-  
 lim florentissimum, nunc denique, &  
 in posterum omni bonorum, ac virtu-  
 tum copia exuberet: quod ut brevi  
 contingat, nobilitas, quam demisse  
 potest, a Rege petit, quæ & illud ipso  
 facto revinci cupit, quod vulgo dici  
 solet, in Gallia frequentes, & de rebus  
 maximis conventus haberi, sed nulla  
 fere consilia in iis capi.

His dictis Syllius Regi supplicem  
 porrexit libellum, quo Nobilibus, qui  
 adulterinam Calvinii reformationem am-  
 plectuntur, Ecclesias concedi, suumque  
 libellum publice recitari petiit.

§. VII.

*Joannis Quintini declamatio pro Clero  
 in hisce comitiis habita.*

Denique Joannes Quintinius pro Clero **Thuan. l. 27.**  
 perorabat. Hic Augustoduni na- **Mex. l. 6.**  
 tus juxta nonnullos Canonicus erat, eo- **Bel. com. l. 29**  
 que tempore, quo Melitæ supremi Or- **n 18.**  
 dinis

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1560**

*Bellaforest.*

*l. 5.*

*Bez. hist. des*

*Eccl. Ref. l.*

*4. p. 407. &*

*Juv.*

dinis Magistri domesticus fuit, hanc Infulam latino sermone descriptam ediderat: inde vero redux in eodem Equitum Ordine Ecclesiasticum impetrabat beneficium, demum Parisiis Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo sexto Juris Canonici disciplinam tradere jubebatur. Jam antea eidem crimini dabatur, quod tunc, cum Pictavii studiis vacaret, de hæresi suspectus fuisset, ac publice sermonem habuisset, in quo opiniones Calvinii erroribus haud absimiles in vulgus sparserat, quinimo carceris pœnam nonnulli opportuna fuga elusisse dicitur: (\*) Ceterum ejus oratio, quam in Aurelianensium comitiis habuit, a Viris boni, æquique studiosis plurimum commendabatur, illi vero, quibus immodica usus libertate videbatur, eandem vehementer carpebant.

Hic

(\*) O quam præclari Oratores rejecto Cardinali fuere subrogati, ex quorum sermonibus facile colligi potest uberrimus fructus, qui in Calvinisticæ Sectæ incrementum ex Aurelianensibus hisce comitiis hauriebatur: quapropter eorum calumniæ haud melius confutarentur, quam observando eas ab hæreticis Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum hostibus fuisse effusas.

Sæcul. XV.  
A. C. 1560.

Hic itaque, postquam Regem, Re-  
ginam, ac Principem amplis encomiis  
honorabat, tandem ita prosequetur :  
 „Tribus de causis comitia in Galliis in-  
 „stituta sunt, ut sacræ disciplinæ pro-  
 „spiceretur, Rex suorum subditorum  
 „querelas audiret, ac vicissim de Regni  
 „necessitatibus, & incommoditatibus a-  
 „pud suos quasi in consilium advocatos  
 „ageret; porro non de Ecclesia emen-  
 „danda, quæ errare non potest, nec ul-  
 „lis rugis, aut maculis deformata, sed  
 „semper, & in æternum formosa erit,  
 „sed de disciplinæ sacræ emendatione  
 „hic agitur, quam senescente pristina  
 „simplicitate sensim collapsam ingenue  
 „fateor: itaque minime audiendi vete-  
 „rum sectarum Sandapilarii toties dam-  
 „nata dogmata effodientes, & si qui  
 „sint, qui eorum nomine templorum  
 „seorsim a catholicis usum libello ob-  
 „lato petunt, hi pro sectariorum fau-  
 „toribus, atque adeo sectariis, & ha-  
 „bendi, & puniendi, nam id, quod  
 „minime æquum est, petunt, hinc id  
 „Constantio Imperatori ab Athanasio,  
 „& Valentiniano II. frustra juris sui  
 „cuncta, atque adeo sacra asserenti ab  
 „Ambrosio, ac denique Gamæ sub Ar-  
 „cadio a Joanne Chryostomo denega-  
 „tum fuit: proinde Regiam Majesta-  
 „tem vestram suppliciter rogamus, ut  
*Hist. Eccles. Tom. XLIII. M m eo-*

Sæcul. XVI. „eorum postulata tanquam impietatis,  
 A.C. 1560. „& imprudentiæ plena aversetur, po-  
 „tiusque Majorum suorum, & Caroli  
 „magni in primis exemplo, cujus san-  
 „ctiones ad rem Ecclesiasticam perti-  
 „nentes ab omnibus leguntur, omnes  
 „ditioni suæ subjectos populos juxta  
 „præscriptam in Ecclesia formulam vi-  
 „vere, & sentire cogat, nec ullo modo  
 „diutius ferenda est sectariorum petu-  
 „lantia, & audacia, qui spreta veterum  
 „auctoritate, & recepta in Ecclesia do-  
 „ctrina se unice Evangelium intelligere,  
 „& amplecti dicunt, hinc igitur ani-  
 „morum intemperantiæ, ac tantum  
 „non rebellionem mature obviam eun-  
 „dum, quod ni fiat, periculum subest,  
 „ne eadem audacia, qua Dei domum  
 „oppugnant, in Principem ipsum ex-  
 „cussio legitimi Magistratus jugo inva-  
 „dant: igitur postulo, ut omnia com-  
 „mercia illis cum catholicis interdi-  
 „cantur, & cum iis tanquam cum ho-  
 „stibus agatur, nec qui Religionis causa  
 „regno excefferunt, eis postliminio do-  
 „mum redeundi facultas sit, nam ad  
 „Regem spectat, ut vindicem gladium in  
 „eos stringat, & capitali supplicio omnes  
 „pestiferæ sectæ veneno infectos plectat,  
 „& econtra Sacrum ordinem sartum,  
 „tectumque tueatur, restituta collegiis  
 „Præsules eligendi potestate, quæ ipsis  
 mani-

„manifesto Reipublicæ Christianæ de-  
 „trimento erepta est, nam animadver-  
 „sum est a summis viris, quod eodem  
 „fere anno, quo sacrarum electionum  
 „jus Pontificis permisso in Regem trans-  
 „latum est, sectarium virus statim ena-  
 „tum sit, & se paullatim per omnia  
 „Regna sparserit; tunc enim, hoc est  
 „anno hujus sæculi decimo septimo, or-  
 „tus Lutherus, quem Zwinglius, Oe-  
 „colampadius, & postea Calvinus se-  
 „cuti sunt.

„His dictis hæc subiciebat Quin-  
 „tinus: „in Regiæ Majestatis suæ po-  
 „testate est, ut hoc malum e Domo Dei  
 „tollatur, neque sacer ordo in poste-  
 „rum quasi decimetur; nam sacri illius  
 „reditus sunt ad opera pia destinati, ut  
 „ideo citra sacrilegium interverti, &  
 „in alios usus impendi non possint.,  
 Tandem Quintinus immunitatem pro  
 Saero ordine petiit, tributorum, ac  
 censuum onera deprecatus, ubi multa  
 etiam adulandi studio addebat, quæ a  
 quibusdam ex adstantibus minus pro-  
 babantur, præcipue ab illis, qui Prote-  
 stantibus savebant, ac vehementiam,  
 qua in eos invehebatur, indignaban-  
 tur, potissimum eo nomine, quod sup-  
 plicia, pœnasque in eos latas rursus in  
 usum deduci peteret: quapropter mor-  
 dacibus libellis, ac disteriis a novæ re-

Mm 2                      forma-

Sæcul. XVI.

A. C. 1560.

**Sæcul. XVI.** formationis Sectatoribus indignum in  
**A.C. 1560.** modum profcindebatur.

## § VIII.

*Spuriæ Reformationis genium ab hoc  
 Oratore descriptum.*

*Beza hist.  
 Eccles. l. 4.  
 p. 430.*

Præcipue Quintinus ob libertatem, qua  
 adulterinæ Reformationis genium  
 descriperat, Protestantium indignationem  
 incurrebat; de ea enim sic disse-  
 ruit: „Hæc per publicas, ac clande-  
 „stinas artes novum Evangelium intro-  
 „ducere nititur, quæ tamen maxime in  
 „id incumbit, ut nullus locus sacer, ac  
 „sanctus speciatim Deo dicatus toleretur  
 „sed profanentur Ecclesiæ, Altaria ever-  
 „tantur, sacræ imagines conculcen-  
 „tur, sanctissima Sacramenta immu-  
 „tentur, Episcopi, Sacerdotes, & Re-  
 „ligiosi ejiciantur: vota, ac promissio-  
 „nes Deo factæ violentur, sine abstinen-  
 „tia vivatur, continentia, jejunia, aut  
 „corporis macerationes omnino re-  
 „spuantur: ex adverso autem omnis li-  
 „bertas, ac licentia carni indulgeatur.  
 Enimvero hæc descriptio proprio Cal-  
 vinianæ Sectæ genio, ac indoli om-  
 nino consona videtur.

## § IX.

*Colinius Maris Præfatus de Quin-  
 tino questus, atque auditus.*

Que-

Quoniam vero Quintinus illos, qui Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
 Protestantium nomine libellos Regi  
 obtulissent, notaverat, atque pro sectario-  
 rum fautoribus, atque adeo pro sectariis  
 habendos, & puniendos dixerat, Co-  
 linium maris Præfectum designari rati,  
 qui aderant, omnes in eum oculos con-  
 jecere, & ipse Colinius ea de re apud  
 Reginam (\*) questus tanquam de gravi  
 injuria sibi satisfieri postulabat: Illa  
 equidem Colinio Architalasso respon-  
 dere potuisset, quod ipse ad hæc ansam  
 præbuisset in ipso Fonte-Bellaqueo Con-  
 ventu, ubi eidem præfenti Cardinalis  
 Lotharingius acriter restiterat, quin  
 tamen tunc adversus eum conqueri au-  
 sus fuisset: Attamen Regina, postquam  
 Regni administrationem susceperat, jam  
 aliam mentem induebat, siue eo quod  
 tum Calvinistis juxta jactatos ab his  
 rumores jamjam apertius faveret, aut  
 juxta benigniorem aliorum præsum-  
 ptionem ipsamet aliis hujus Orato-  
 ris verbis fuisset offensa, quibus hic  
 Regni calamitates enarrabat, quæ ex  
 decimis Clero non ita pridem recens  
 impositis exortæ fuerunt. Has ob caus-  
 as Regina Oratori injunxit, ut quodam-  
 modo

M m 3

---

(\*) In Thuano, ex quo Continuator om-  
 nia ad verbum descripsit, non legitur *Regi-*  
*wam*, sed *Regem*.

Sæcul. XVI. modo Colinio Maris Præfecto satisfaceret, quæ tamen injuriæ reparatio haud in alio consistebat, nisi quod in horum comitiorum sine orationem habere, ac declarare juberetur, quod Præfecto injuriam inferre nequaquam molitus fuisset.

Sub idem tempus adhuc aliæ exoriebantur querelæ adversus Guisios Principes; quippe Burgundiæ, & Delphinatus, quibus Provinciis Guisius, & Aumalius eorum frater præerant, Ordinum Deputati petebant, ut, quoties sermo de Guisii incidere, ipsorum perinde, ac Regiæ stirpis Principum honorifica haberetur mentio, idque ipsum exequi Rupifortio præciperetur: cum vero id a potiori Nobilitatis parte negaretur, indignati Principes Guisiani eos, qui intercedebant, seditiosos ex iræ vehementia appellaverant, qua de re e nobilitate plerique apud Catharinam Reginam Matrem questi, pro omnibus verba faciente Joanne Raguierio Sternæo Cathalauni Vice-Domino, hoc tantum responsum retulere, id a Guisianis Principibus duntaxat in eos dictum, qui contra Regiam Majestatem aliquid moliti essent.

S. X.

*Præteritorum criminum venia omnibus concessa.*

Post

Post hæc a Rege Præsulibus injunge-  
 batur, ut se ad proximum Conci-  
 lium, quod Tridenti indictum erat, in-  
 struerent; mandatum insuper iudicibus  
 per præfecturas, ut vinctos ob Religio-  
 nem solverent, iisque bonorum ab ean-  
 dem causam ereptorum liberam posses-  
 sionem relinquerent: nec minus cunctis  
 præteritorum delictorum oblivio indul-  
 gebatur, a qua tamen gratia Ambasia-  
 næ conjurationis Duces excepti fuere:  
 Carnutensis tamen Vice-Dominus li-  
 bertatem recuperabat, verum paulo  
 post nonnisi decimum octavum ætatis  
 annum agens fatis functus est.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1560.

Thu. l. 27.  
 Belef. l. 6.  
 cap. 92.

§. XI.

*Regina Gubernatrix, Navarræ au-  
 tem Rex supremus Regni Præ-  
 fectus declaratus.*

Demum cuncta, quæ circa Regni ad-  
 ministrationem servanda essent,  
 disponebantur, ac inter cetera sancitum.  
 I. Urbium Gubernatores præprimis cum  
 Navarræ Rege paciscantur, hic vero  
 hac de re Reginam certiolem faceret,  
 ut postea hoc negotium in Senatu agi-  
 tari posset. II. Horum Gubernatorum  
 literæ statim Reginæ tradantur, hæc  
 vero illas præ ceteris prior perlegat.  
 III. Omnes epistolæ, priusquam Rex  
 illis subscribit, prius a Regina ejus Ma-

Mm 4

tre

Sæcul XVI.  
A C 1560.

tre in sanctiori Senatu legantur. IV. Singulis hebdomadibus Senatus cogatur, & quidem primus feria tertia, alter feria sexta, & denique alius feria quinta, in quo de ærarii negotiis agatur. V. Connestabili supremum exercitus Imperium deferatur, Lotharingius vero Cardinalis, ut antea, Regii ærarii curam habeat. Ceterum ad Nobilium petitionem, qua sibi Ecclesias tradi contendebant, nulla facta est mentio, exinde vero Colinius Maris Præfectus haud obscure colligebat, quod ejus factio Catholicis nequaquam numero sit superior.

## §. XII.

*Decreta pro Ecclesiæ disciplina.*

*Daniel hist. de France t. 6. p. 251. Recueil general. des affaires. du Clerge de France t. 3. p. 183.*

Priusquam comitia solvebantur, nonnulla pro bono Regimine condebantur decreta, quæ Clerum respiciebant, ac omnino necessaria fore credebantur, eorumque primum penitus adversum erat concordato, atque electiones pristino suo usui restituere videbatur; sanciebatur enim, ut Archiepiscopi, atque Episcopi Sede vacante mox eligerentur, & nominarentur, & quidem, Archiepiscopi per Provinciæ Episcopos, & Metropolitanæ Ecclesiæ Capitulum, Episcopi vero per Archiepiscopum: Provinciæ autem Episcopi, necnon Ecclesiæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

fiæ Cathedralis Canonici in socios sibi  
assumant duodecim Nobiles, qui a Dico-  
cesis Nobilitate feligantur unacum toti-  
dem civium Primoribus, qui pariter in  
Metropolitanæ, vel Episcopalis urbis Pa-  
latio nominentur. Postea hi omnes ad  
designatam diem per Sedis vacantis  
capitulum, ut supra meminimus, con-  
vocati, ac congregati tres Viros ido-  
neos, ac dotibus per Sacros Canones,  
& Concilia requisitis ornatos, qui sal-  
tem trigessimum ætatis suæ annum ex-  
pleverint, unanimi suffragio eligant,  
electosque Capitulum Regi exhibeat,  
ut hic unum ex illis tribus, quemcun-  
que voluerit, ad Archiepiscopatum, vel  
Episcopatum feligat, & nominet.

In secundo articulo hæc legitur Con-  
stitutio: cum Aurelianensium Ordinum  
Deputati significarint, ac petierint, ut  
imposterum nullæ, prout vocant, Va-  
caturæ, seu Annatæ pro obtentis Ar-  
chiepiscopatibus, Episcopatibus, Ab-  
batiis, aliisque beneficiis Consistoriali-  
bus solvantur, hinc unacum Sanctissimi  
Domini, ac Patris nostri Papæ Deputa-  
tis hac super re maturius agere, ac de-  
liberare decrevimus, interea vero ex  
Senatus nostri sententiâ, necnon juxta  
Sacrarum Synodorum decreta, anti-  
qua nostrorum Regum Prædecessorum  
statuta, & Curiarum nostrarum edicta

Mm 5

pro-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

prohibemus, ne deinceps aurum, vel argentum, vel pecuniæ sub prætextu Annatarum, Vacaturæ, vel alterius rei solvantur, vel transmittantur sub quadruplici pœna contra eos, qui præsentem hanc Constitutionem transgredientur. (\*)

Articulo tertio decernitur, ut Abbatissæ, & Priorissæ deinceps tempore, quo hæ dignitates vacant, e religiosis suorum Monasteriorum Virginitibus eligantur, ita tamen, ut electæ suo munere non nisi triennio fungantur, quo expleto rursus ad electionem procedatur.

Articulus quartus sequens decretum complectitur: „Admonemus, imo, & „injungimus omnibus Prælatiis, Patro- „nis, & Collatoribus Ordinariis, ut ad „beneficia Ecclesiastica, etiam Parochia- „lia, vel alia, quibus animarum cura „est annexa, Viros honestate morum, „ac scientia claros nominent, nec ullum „Beneficium tanquam devolutum con- „ferant, nisi provisus per Ordinarium „prius declaretur incapax: prohibemus „pariter omnibus nostris Judicibus, ne „ullo pacto admittant provisiones de- „volutionis nomine factas, sive Aposto- „licas,

---

(\*) Hæc prohibitio fuit sublata per Caro-  
lense edictum die 10. Januarii 1562.

„licas, five alias, nisi prius præfata in-  
 „habilitas fuerit declarata.,, Sæcul. XVI.  
 A.C. 1560.

Quintus Articulus hæc præscribit:  
 „Omnes Archiepiscopi, Episcopi, Ab-  
 „bates, & Parochi in suis locis resideant,  
 „ac eorum quilibet per semetipsum mu-  
 „neris sui functiones exercent, sub pœna  
 „privationis reddituum, quos ex suis  
 „beneficiis percipere possent: cum vero  
 „hodiedum nonnulli vi dispensationis  
 „plura possideant beneficia, hinc inter-  
 „ea temporis, usquedum aliter hac su-  
 „per re decernetur, præcipimus, ut  
 „illi, qui in alterutro suorum beneficio-  
 „rum, quæ per nostra edicta propriam  
 „ipsius Personæ præsentiam, & obsequium  
 „postulant, resident, si de eo legitime  
 „constiterit, a residendo in ceteris eo-  
 „rum beneficiis excusandi sint, ea ta-  
 „men lege, ut doctos, probosque, ac  
 „morum integritate commendandos sub-  
 „rogent Vicarios, eisque portionem  
 „ex beneficii redditibus pro honesta eo-  
 „rum sustentatione congruis assignent:  
 „si vero in hoc defecerint, Archiepi-  
 „scopo, vel Episcopo Diœcesano injun-  
 „gimus, ut huic rei ipse prospiciat:  
 „Insuper stricte nostris Judicibus, ac  
 „procuratoribus mandamus, ut auxi-  
 „liatrices manus præbeant, nullaque  
 „mora temporalis Archiepiscopatum,  
 „Abbatiarum, aliorumque beneficio-  
 rum

Sæcul. XVI  
A. C. 1560

„rum bona occupent post unius Men-  
 „sis lapsum, a quo Prælatos ad residen-  
 „dum monuerunt, ac interpellarunt:  
 „præcipimus etiam, ut beneficiarios ti-  
 „tulares ad residendum adstringant, &  
 „præsentis decreti intentioni satisficiant.  
 „denique iisdem nostris Judicibus,  
 „& Procuratoribus injungimus, ut con-  
 „tra eos, qui non resident, aut eorum  
 „bona occupare neglexerunt, iudicii  
 „acta conscribant, eaque quolibet se-  
 „meltri ad nostrum secretiorem Sena-  
 „tum transmittant, quin propter res  
 „occupatas, aut lite pendente vin-  
 „dicatas, vel sub earum prætextu  
 „quicquam recipere valeant, sub pœna  
 „privationis a suo officio,

Articulo sexto præcipitur, ut Archi-  
 episcopi, Episcopi, & Archidiaconi  
 per seipsos Ecclesias, & suarum Dico-  
 cesium Parochias visitent, ac visitatio-  
 nis jura, seu exactiones cum tanta mo-  
 deratione assignent, ut omnem querendi  
 ansam prævertant.

Articulo septimo ita statuitur. In-  
 jungimus Prælati, qui vel adversa va-  
 letudine, vel gravi senio, vel alia ex  
 causa præpediti suis functionibus va-  
 care, gregique suo invigilare haud po-  
 terunt, Coadjutores, & Vicarios doti-  
 bus necessariis ornatos tam pro annun-  
 tiando Dei Verbo, quam administrandis  
 Sacra-

Sacramentis feligant, & assumant, at- Sæcul XVI  
A.C.1560.  
que his ob eam curam præfati Præsu-  
les honestam pensionem assignent, ac  
dare obstringantur, si vero in hoc defe-  
cerint, Ministri nostri in hisce locis con-  
stituti hac de re nos certiores facient  
absque ulla dissimulatione, ut postea  
legitime providere valeamus.

In articulo octavo decernitur, ut in  
qualibet Ecclesia Cathedrali, aut Col-  
legiata aliqua præbenda reservetur pro  
Theologiæ Doctore, cui illa per Archi-  
episcopum, Episcopum, aut Capitulum  
conferatur, hic tamen Doctor concio-  
nari, Verbumque Dei singulis diebus  
Dominicis, ac solemnioribus festis an-  
nuntiare obstringatur: in ceteris vero  
tribus per hebdomadæ vicibus publice  
Sacras literas prælegat, ac Canonici  
hisce lectionibus assistant, imo interesse  
compellantur, sub pœna privationis suo-  
rum reddituum.

Articulus nonus hæc addit: Præ-  
ter præfatam pro Theologo præbendam  
etiam reservetur alia, cujus proventus  
pro sustentatione Magistri assignabuntur,  
hic tamen pueros illius Urbis sine mer-  
cede literis imbuere teneatur, atque a  
loci Episcopo eligatur, ad quam electio-  
nem hic suæ Ecclesiæ Canonicos, Præ-  
fectum, Oppidanos Consules, Consilia-  
rios, sex Urbis Primores convocabit,  
ita

Sæcul. XVI. ita tamen, ut hic Magister consentien-  
A.C. 1560. tibus subditis per præfatum Archiepi-  
 scopum a suo munere arceri valeat.

Decimo articulo hæc præscribun-  
 tur. Mandamus, ut pecuniæ ex Sodali-  
 tatibus provenientes iis, quas pro offi-  
 cio divino persolvi necesse erat, dedu-  
 ctis ad Scholarum usum, necnon ad  
 Eleemosynas applicentur, quin in alios  
 usus impendi valeant, sub quocunque  
 prætextu: insuper sigillatim præcipimus  
 nostris Ministris, Præfectis, Consulibus,  
 Primoribus, ac urbium, & oppidorum  
 Consiliariis, ut quilibet in suo loco huic  
 rei invigilet, alias ipsi satisfacere tene-  
 buntur.

Articulus Undecimus hunc in mo-  
 dum erat conceptus: Omnes Abbates,  
 Abbatissæ, Priores, & Priorissæ, si to-  
 tius Ordinis capita non sunt, simul etiam  
 omnes Canonici, & tam profana Ca-  
 pitula, quam Ecclesiæ Cathedrales, &  
 Collegiatæ Archiepiscopo, vel Episcopo  
 Diocesano subjiciantur, quin ullus ali-  
 quo exemptionis privilegio contra visi-  
 tandi, vel crimina plectendi jura tutus  
 esse valeat, nec quoad id obstant appel-  
 lationes, aut quæcunque demum opposi-  
 tiones, iisque nullum præjudicium in-  
 feratur, si semel ejusmodi causæ cog-  
 nitionem evocavimus, atque in sanctiori  
 Senatu nostro retinimus: libera ta-  
 men

men remaneat Abbatibus, Abbatiffis, Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
atque utriusque sexus Prioribus visita-  
tio, & consueta correctio suorum Reli-  
giosorum, vel Monialium, si quæ culpæ  
adversus Regulam ab ipsis commit-  
tantur.

Articulus duodecimus hoc comple-  
ctitur præceptum: Omnibus, & sin-  
gulis Prælatiis prohibemus, ne Sacer-  
dotes, qui nullius Diœcesis sunt, ad  
suos diœceses admittant, aut illis abs-  
que legitima, vel gravi causa literas,  
ut vocant dimissoriales, ad Sacros Ordi-  
nes promovendis concedant, nec eos  
ad Presbyteratum admittant, nisi tri-  
gesimum ætatis annum attigerint, (\*)  
illorumque probitas, morumque integri-  
tas, ac sacrarum literarum scientia per-  
specta sit, prædiumque profanum, vel  
beneficium pro sua sustentatione, vi-  
ctuque sufficiens possederint, de cujus  
reditibus absque ulla fraude coram Ju-  
dice ordinario legitime constare debet,  
porro hoc ipsum beneficium quinquaginta  
librarum Turonensium valorem  
adæquet, idque testatum reddatur sal-  
tem per quatuor cives, vel illius incol-  
las

---

(\*) Huic decreto Blefensis conventus ar-  
ticulus vigesimus nonus ann. 1579. derogat,  
atque vigesimum quintum ætatis annum  
præscribit,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

las, qui præfatam pecuniam suppedi-  
tare, vel pro ea fidejubere adstrin-  
gantur: declaramus etiam, quod tem-  
porales hi redditus alienari, aut quibus-  
cunque oneribus, vel hypothecis ab eo,  
quo hic Presbyter promovebitur, tem-  
pore, per totum vitæ suæ cursum gra-  
vari non valeant.

Articulo decimo hanc in rem addi-  
tur: Archiepiscopus autem, & Epi-  
scopus, qui hanc Constitutionem trans-  
gredientur, illum, quem ad Presbyte-  
ratus Ordinem promoverint, suis sum-  
ptibus alere tenebuntur, ac sub poena  
privationis suorum reddituum ad id  
compellendi sunt, usquedum eidem  
beneficio congruo providerint.

In articulo decimo quarto hæc præ-  
cipiuntur: Injungimus omnibus Sacer-  
dotibus, ut ad suas Diœceses redeant,  
exceptis iis, qui quædam beneficia,  
aut bona ad sustentationem suo statui  
congruam sufficientia habent, aut Ec-  
clesiis Cathedralibus, Collegiatis, vel  
Parochialibus deserviunt, atque pro iis  
assignati sunt. Præcipimus etiam Præ-  
latis, ut ceteros ad suas Diœceses re-  
cipiant: hisce vero Sacerdotibus injun-  
gimus, ut in istis Diœcesibus honeste  
vivant, studiis ibidem vacent, atque  
ad honestum victum sibi comparandum  
honestis quoque exercitationibus sese  
impendant.

Arti-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Articulo decimo quinto sequens præceptum continebatur. Inhibemus omnibus Prælatiſ, Eccleſiaſticis, & Parochis, ne quicquam pro adminiſtratione Sacramentorum, ſepulturis, aliisque rebus ſacris exigi permittant, nihil obſtantibus, ut obtenditur; laudandis conſuetudinibus, aut communi uſu: relinquimus tamen cujuſcunq; prudentiæ, & arbitrio, ſi ultro, quidcunq; eis bene viſum fuerit, elargiri voluerint. (\*)

Decimus ſextus Articulus hæc ſubjungit: Ut vero Parochi abſque omni excuſationis obtentu ſuo muneri, ac functionibus ſatisfacere valeant, injungimus Prælatiſ, ut ad beneficiorum unionem, & decimarum, aliorumque redituum Eccleſiaſticorum diſtributionem juxta Sacrorum Canonum normam procedant.

Decimo ſeptimo Articulo prohibentur Prælati, ne quocunq; modo ſacras ſuorum beneficiorum res locare: minus vero ſuos conductores pro vicariis conſtituere valeant: hinc noſtris Judicibus, ne eodem Vicarios protegant, omnino vetamus, nec minus inhibemus, ne

tem-

(\*) Rurſus hic articulus in Bleſenſibus ſomitiis art. 51. fuit correctus.

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

temporales suorum beneficiorum reditus extraneis, qui vel civitate donati non sunt, aut intra Franciæ Regnum domicilio non utuntur, aut connubio juncti non sunt, elocent, sub pœna amittendi hosce reditus, qui in harum urbium pauperes distribuuntur.

Articulo decimo octavo ea, quæ sequuntur, adduebantur: Nequaquam Prælati, Ecclesiastici, & officiales literas ut vocant, citatorias expedire, aut Ecclesiasticas censuras infligere poterunt, nisi propter crimina, & scandala publica.

Articulo decimo nono Patribus, & Matribus, Tutoribus, & cognatis prohibetur, ne suis prolibus, aut pupillis in Religiosorum, vel Virginum cœnobiis sacrum Ordinem profiteri permittant, nisi mares vigesimum quintum, fœminæ vero vigesimum ætatis annum attigerint: si qui vero ante præscriptum hoc tempus solemnem ejusmodi sponsonem sese obstrinxissent, tunc poterunt illi de hæreditaria sua portione disponere, eaque ad lineam rectam, vel collateralem devoluta censebitur, vel devolvetur in illius ex cognatis, quem ipsi voluerint, non autem Monasterii commodum, hanc in rem Monasteria ab hoc momento ad successionem, vel testamenta declaramus incapacia, non obstante ejusmodi Professione Religiosa,  
aus

aut omni juris, vel contrariæ consuetu- Sæcul. XVI.  
dinis severitate. A. C. 1560.

Articulus vigesimus hæc complecti-  
tur: Mandamus, & præcipimus om-  
nibus Superioribus, ac Ordinum Præ-  
latis, ut intra Regnum nostrum, ac  
nostri imperii ditiones exactæ suorum  
Monasteriorum emendationi toto studio  
invigilent, juxta primum Instituti, fun-  
dationis, ac Regulæ præscriptum: pa-  
riter in quolibet Monasterio ex sumptibus  
Abbatis, vel Prioris habeatur, atque  
alatur probus, ac conspicuus quidam  
Vir, qui ibidem Sacras literas tradat,  
necnon Novitiorum mores disciplinæ  
Monasticæ studio imbuat, insuper cuncta  
a præfatis Reformatoribus præscripta  
exacte in opus deducantur, quin in eo  
oppositiones, & appellationes quæcunque  
obsint.

Articulus vigesimus primus sequenti  
præcepto circumscribitur; Injungimus  
nostris Judicibus, & Procuratoribus,  
ut auctoritate nostra beneficiorum, in  
quibus nullus suo officio fungitur, redi-  
tus occupent, ac de ruinis, & demo-  
litionibus perscribant, atque ad Diœ-  
cesanum Episcopum totum negotium  
referant, cui injungimus, ut malo pro-  
videat, & ejusmodi foundationes con-  
servare studeat.

Secul. XVI.  
A C. 1560.

Pariter articulo vigesimo secundo prohibemus omnibus Judicibus, ut de Beneficiorum possessionibus judicantes nullatenus attendant ad provisiones, quæ jure præventionis, & regressus, vel per gratias, ut vocant, expectativas, aut alias ejusmodi vias fuerunt obtentæ, nec minus flocci habeant dispensationes contra Sacros Canones, & Concilia extortas, sub pœna privationis fuorum Officiorum, ita, ut illi, qui ejusmodi provisiones, aut dispensationes impetrarunt, illis absque nostro consensu uti haud valeant.

Vigesimo tertio articulo hæc statuuntur: Speciatim omnibus nostris Judicibus præcipimus, ut edicta a piæ memoriæ Rege Sancto Ludovico, aliisque nostris Prædecessoribus promulgata contra eos, qui nomen Domini blasphemant, vel varias execrandas blasphemias effutiunt, omnino observent, observarique curent: insuper iisdem omnibus Judicibus, ne quascunque nundinas, & mercatus haberi, vel publicas choreas in diebus Dominicis, festisque solemnibus, aliisque annifectivitatibus fieri permittant, præcipimus, iisque injungimus, ut transgressores puniant.

Articulus vigesimus quartus hæc habet: Prohibemus omnibus Mimis, Histri-

Histrionibus, aliisque ejusdem generis hominibus, ne Divini Officii tempore in Dominicis, & festivis diebus suos ludos exhibeant, vestes Ecclesiasticas induant, aut dissolutos jocos proferant non sine gravi juventutis offensione: porro iis, qui talia fecerint, intentamus carceris pœnam, ac corporis castigationem: inhibemus etiam omnibus nostris Judicibus, ne illis ejusmodi ludos exercere sub præfatis horis permittant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Pariter vigesimo quinto articulo omnibus Cauponibus, Tabernariis, Sphæristeri Custodibus interdiciamus, ne sub iisdem Divini Officii horis cujuscunque conditionis homines excipiant: inhibemus insuper omnibus rusticis, & pagorum, villarum, & vicorum incolis etiam conjugatis, vel rei familiaris curam habentibus, ne in cauponis, & tabernis bibant, vel comedant: cauponibus vero vetamus, ne eos recipiant, sub pœna nostro arbitrio pro prima vice relicta, pro secunda autem vice carceris pœna in eos statuta: ad hæc mandamus omnibus Judicibus, ne quovis pacto hoc statutum violari permittant, sub pœna suspensionis, ac etiam privationis ab officio, si diu rem dissimulaverint, vel nimia conniventia usi fuerint.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Vigesimo sexto articulo ita statuitur: Quoniam illi, qui futura vaticinari gestiunt, sua calendaria, & vaticinia in vulgus spargere, atque quandam ex astris prædivinandi artem contra speciale Dei præceptum profiteri præsumunt, quæ tamen res a Principibus Christianis omnino toleranda non est, hinc omnibus Typographis, & Bibliopolis sub carceris, & multæ arbitrariæ pœna inhibemus, ne quædam ejusmodi Calendaria, vel prognostica typis edant, vel vœnum exponant, nisi prius ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel illis, quibus id committetur, fuerint recognita; in illos autem, qui ejusmodi Calendaria adinvenerunt, vel composuerunt, per nostros Judices speciali severitate, ac corporis pœna animadvertatur.

Vigesimal septimus articulus Parochis, Vicariis, aliisque Ecclesiasticis interdicit, ne testamenta, ac postremæ voluntatis dispositiones acceptent, in quibus quædam ipsis vel legata, vel donata fuerunt.

Articulus vigesimus octavus declarat, quod in domesticam omnium personarum Ecclesiasticarum suppellectilem sine discrimine apparitorum manus immitti valeat, exceptis tamen eorum libris, vestibus ordinariis, & necessariis,

riis, necnon ornamentis, quæ ad Eccle- Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.  
sias destinatæ, atque ad earum usum  
applicatæ sunt.

In vigesimo nono articulo hæc con-  
tinentur. Omnibus Prælatiis, atque  
Ecclesiasticis prohibemus, ne præter il-  
las arbores, quæ vel tempestatum, vel  
ventorum vi dejectæ sunt, alias præal-  
tas vendere, vel ex nemoribus excin-  
di jubeant, & id absque fraude, sub  
pœna amittendæ jurisdictionis profanæ;  
quapropter ab hoc tempore omnes ex  
densis silvis arbores excindendi, aut  
ligna secandi facultates concessas revo-  
camus, omnibus cujuscunque conditio-  
nis Personis inhibentes, ne nostro, vel  
nostrorum rei tormentariæ Officialium  
nomine, vel aliorum, qui quodam pri-  
vilegio sese munitos esse jactitant, ejus-  
modi arbores ab Ecclesiasticis emere  
præsumant, sub hac pœna, quod ab  
his emptoribus pretium, etiamsi jam  
fuisset persolutum, rursus repetatur.

§. XIII.

*Exitus Aurelianensis Conventus.*

Postquam plura alia edita circa justi- Thuan. l. 26  
Popel. l. 7.  
tiam, Nobilitatem, ac commer-  
cium fuerant condita, tandem Regni  
Ordinibus valere jussis, eorum Sessio-  
nes ad primam Januarii diem Anni sequen-  
tis millesimi quingentesimi sexagesimi

N n 4

primi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

primi fuerunt dilatæ: ut vero immodicus hominum concursus, atque expensæ declinarentur, sancitum, ut ex singulis majoribus Regni Provinciis non nisi duo Deputati ablegentur, iique die ipsis designanda Pontifaram veniant: his quoque additum, quod ibidem de libello supplici, quem Jacobus Sillius nomine Nobilium porrexit, sit agendum. Post hæc Quintinus Ordinum nomine discedendi veniam a Rege petebat, habito hanc in rem sermone multum elaborato, in quo nonnihil ea, quæ adversus Colinium maris Præfectum nuper protulerat, temperare satagebat, declarans, quod non sibi alia fuerit voluntas, nisi ut juxta conscientiam suam libere, sine tamen ullius injuria proponeret ea, quæ ipsi non minus utilia, quam Regi proficua fore censebat, semper paratus, quod Nobilibus honorem ipsis debitum exhiberet: cum autem Lotharingius Cardinalis præcipuam Navarræ Regi auctoritatem fuisse commissam ægre ferret, suam vero potentiam indies magis, magisque decrescere cerneret, hinc Rhemos, ubi erat Archiepiscopus, secessit, obtendens, quod suo gregi invigilare teneretur. Ast ejus discessu haud parum lætabatur Navarræ Rex, cum se hac ratione a potenti æmulo,

mulo, cujus præsentia ipsi permolesta acciderat, liberatum comperisset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. XIV.

*Hospitalii Cancellarii edictum circa secundas nuptias.*

Hoc anno Mense Julio Michael Hospitalius Franciæ Cancellarius statutum promulgari jussit, quo suum utilitatis publicæ studium manifestum reddidit, ac Leonis, & Anthemii Constitutionem hucusque in Galliis non receptam innovavit: fanciebat enim, quod in eo casu, si mulier, quæ ex primo connubio liberos suscepit, ad secundas transfret nuptias, ex bonis mobilibus tam paraphernalibus, quam recens aquisitis haud amplius novo suo Marito, vel ejus prolibus, aut aliis personis suspectis dare valeat, quam cuilibet ex suis propriis filiis, ut proin bona, ceteraque, quæ ex donatione, & primi sui Mariti liberalitate accepit, liberis ex eo susceptis conservare teneatur, nec quicquam ex iis novo suo Marito largiri possit: porro hæc lex extendebatur ad ea etiam bona, quæ ad Maritos ex conjugum liberalitate pervenerunt, ut ideo ejusmodi Mariti hæc bona nequaquam suis uxoribus secundis donare possint, sed ea primi thori prolibus reservare adstringerentur. Hæc Constitu-

*Thuan. l. 8.*

Sæcul. XVI. A.C. 1560. tio Regii Senatus auctoritate unanimi omnium suffragio die quinta Augusti fuit comprobata.

§. XV.

*Tolosani Senatus edictum adversus Arnaldum Tilius Impostorem.*

*Thuan. l. c.  
Spond. hoc  
ann. n. 27.  
Rocol. des  
Impost. in-  
fig.*

Priusquam hoc decretum fuisset editum, paulo ante Tolosanus Senatus adversus insignem quemdam fraudum Architectum aliam pronuntiabat sententiam, quæ tamen nonnisi decima tertia Septembris die fuit promulgata. Hic alienum ementitus nomen, vere appellabatur Arnaldus Tilius ex Panetto oppido ortus, seque Martinum Guerram esse simulabat, qui Handajæ in Vasconum Regione natus Bertrandum Rolfam ex Artigato Rivenfis Diœcesis oppido in Occidania sito Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo nono uxorem duxerat, ac cum ea per decem circiter annos conjugali societate fruebatur, postea autem in Hispaniam, atque inde in Flandriam delatus ibidem militiam profitebatur. Evolutis octo annis Arnaldus Tilius Artigatum delatus ad Bertrandæ ædes venit, seque ejus Maritum esse finxit: cumque corporis specie Martino simillimus esset, Bertranda inde decepta magis adhuc in suo errore firmabatur ob gaudii abundantiam

Sæcul. XVI  
A. C. 1560.

dantiam, qua Maritum suum recuperasse lætabatur, nec minus omnibus Guerræ, & Bertrandæ agnatis idem erat persuasum, adeo, ut hunc Impostorem reipsa Martinum esse nemo amplius dubitaret, eo quod dexterrime adeo exactam de singulis, ac minimis etiam rebus notitiam sibi comparasset, ut nulla de dolo, ac errore suspicio esset; quippe Tilius æque, ac Martinus Guerra in fronte cicatricem, in oculo rubram sanguinis maculam, atque primi digiti unquam nonnihil depressum habebat: insuper magis arcana, quæ olim inter Guerram, & Bertrandam ejus conjugem intercesserant, optime noverat; diu enim in castris arctam cum Martino amicitiam coluerat, atque singulari astutia in familiaribus colloquiis secreta nemini quam duobus hisce conjugatis cognita expiscatus erat. Progressu temporis hic idem doli faber prima hac fraude haud contentus, insuper Bertrandæ bonis inhiare statuit: ast ipsius nequitia per hanc ipsam avaritiam fuit detecta; quippe Petrus Guerra Martini Patruus, cum hæc bona dissipari nequaquam illius interesset, Tili fraudem manifestare decrevit, cumque sat firmis se munitum testimoniis crederet, eundem in jus vocavit, eumque fraudis, ac mendacii postulare statuit: quinimo ipsa

Sæcul. XVI. ipsamet Bertranda, cum ex validis in-  
A.C. 1560. diciis Tilius neutiquam suum esse Ma-  
 ritum jam ab aliquo tempore suspica-  
 retur, Petri Guerræ accusationi suis  
 quoque testimoniis haud leve pondus  
 adjiciebat, ipsumque Petrum ad litem  
 instruendam animabat: Itaque Riven-  
 sis Judex re comperta Tilius quæstioni  
 subjecit, eumque tanquam nefarium  
 fraudis Architectum laqueo suspendi,  
 corpusque ejus in quatuor partes di-  
 scerpi jussit: Tilius vero ab hac senten-  
 tia ad Tolosanum Senatum provocabat,  
 ubi etiam in dijudicanda hac causa  
 haud leves oriebantur difficultates; non-  
 dum enim sat valida afferebantur ar-  
 gumenta, ac testium quamplurimi in-  
 ter se discrepabant, aliis accusatum haud  
 alium, quam Martinum Guerram esse  
 testantibus, aliis ex adverso id negan-  
 tibus. Jamjam res in eo erat, ut sen-  
 tentia pronuntiaretur, cum ecce! ve-  
 rus Bertrandæ Maritus ex Hispania,  
 ubi hucusque morabatur, revertitur,  
 moxque ab omnibus pro vero Bertran-  
 dæ Marito habetur, quamvis ligneum  
 pedem gestaret, cum suum in celebri  
 prælio ad Sanctum Quintinum amisisset:  
 igitur Tilius de fraude, adulterio, &  
 sacrilegio convictus ad laqueum, ac rogi  
 supplicium condemnatur, quæ etiam  
 sententia Artigati ante Martini Guerræ  
 aedes

ædes Mense Septembri Anno Domini **Sæcul. XVI.**  
 millesimo quingentesimo sexagesimo **A. C. 1560.**  
 executioni data est: ejus vero bona fue-  
 re adjudicata Filix, quam ex Bertran-  
 da suiceperat, cum hæc adhuc nullius  
 doli conscia conjugali Tili societate  
 fruere.

## §. XVI.

*Regina Francisci II. Vidua ex Fran-  
 ciæ aula excedens.*

Interea Francisco II. fatis functo quan-  
 tocius Regina Maria Stuarta ejus  
 Conjug, cum eidem Catharina Medi-  
 cæa ejus focrus minus propensa esset, ex  
 aula excedere statuit, mediamque hye-  
 mis partem Rhemis, cujus urbis Ar-  
 chiepiscopus erat Cardinalis Lotharin-  
 gius ejus Avunculus, transegit, atque  
 sub idem quoque tempus, quo ibidem  
 morabatur, Martigas, Broffius, Doyse-  
 lus, & Ambianensis Episcopus eandem  
 visum venerant; cum enim hi de Sco-  
 tiæ rebus optime gnari, ac Reginae  
 consilium de reditu in patriam suam  
 probe sibi perspectum haberent, hinc ei-  
 dem Auctores exsistere, quatenus Ja-  
 cobum Stuartum Sancti Andreæ Prio-  
 rem, Nothum fratrem suum, Argashe-  
 liæ, & Liddingtoniæ Comites, ac Gran-  
 gium Nobilem variis beneficiis sibi de-  
 vinciret, magisque Protestantium, quam  
 Catho-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Catholicorum auxilio fideret, eoquod illi, inquiebant ipsi, postremis abhinc seditionibus, quæ tam circa prioris anni exitum, quam currentis initium erant suscitatae, potentia, ac numero superiores essent: verum alii huic Reginae longe diversa suggerebant consilia, eidemque persuadere nitebantur, ut merito Santandream Priorem sibi suspectum haberet, ac protinus Aberdoniam secederet, ubi validæ Catholicorum copiarum, quibus præesse posset, ad ipsius obsequium præsto forent, ac earum auxiliis suffulta Religionem Catholicam ad eundem, quo ante innovationes nuper factas erat, statum revocare valeret.

§. XVII.

*Affidua tumultus in Scotia ob Religionem suscitati.*

*Thuan. l. 24.*  
*Rapin. hist.*  
*Angl. t. 6.*  
*h. 27.*

Enimvero Religio in Scotia Regno a liam ferme induebat faciem, eoquod spuria reformatio jam ab Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono prævalere inciperet. Equidem ductore Brossio auxiliares copiarum ex Gallis in Administratricis opem fuere submissæ, simulque iis adjungebatur Nicolaus Pellevæus Ambianensis Episcopus præter aliquos Doctores Sorbonicos, qui Religionis dissidia componerent: verum foederati Administratricis auctoritatem agno-

agnoscere recusantes cum Elisabetha Sæc. XVI.  
 Angliæ Regina foedus inibant, Admini- A.C. 1560.  
 stratricem vero rogabant, ut Letha ex-  
 cederet, ac secum intra viginti qua-  
 tuor horarum spatium educeret omnes  
 exteros milites, necnon cunctos, qui pro  
 decidendis hisce controversiis sibi Le-  
 gatorum auctoritatem arrogarent: In-  
 super edito decreto Legationem huic  
 Regenti a Galliarum Rege, & Regina  
 submissam inibent, illique interdicut,  
 ne quicquam ageret usque ad univerfo-  
 rum Ordinum comitia proxime oppor-  
 tuno loco indicenda. Huic decreto o-  
 mnes, quot quot præsentés aderant, sub-  
 scripsere, ac biduo post fecialem Letham  
 decernunt, qui Scotis denuntiaret, ut  
 intra viginti quatuor horarum spatium  
 urbe excederent, seque a publicæ liber-  
 tatis hostibus segregarent.

§. XVIII.

*Scotorum foedus cum Angliæ Regina.*

Cum Scoti sese Regentis suæ copiis re- Thuan. 89  
 sistendo impares cernerent, Guiliel- Rapin. l. c.  
 mum Mætellanum in Angliam able- Bournet. hist.  
 gant, qui auxilia a Regina Elisabetha de la Ref.  
 peteret. Hanc in rem cum eadem hac tom. 2. l. 3.  
 Regina die vigesima septima Februarii p. 611.  
 Anno Domini millesimo quingentesimo  
 sexagesimo foedus fuit initum, cujus  
 summa

**Sæcul. XVI.** summa his articulis constringitur. I.  
**A. C. 1560.** Elisabetha Castri-Eraldi Ducem rebel-  
 lium caput unacum omnibus sibi adhæ-  
 rentibus in fidem suam recipiat, eo fi-  
 ne, ut in Scotiæ regno pristinæ liberta-  
 tes, & privilegia facta serventur, quam-  
 diu Galliarum Regis matrimonium cum  
 Maria Stuarta subsistet, quo soluto ad-  
 huc per annum hujus articuli firmitas  
 obtinebit. II. Eadem Elisabetha spon-  
 deat, quod hisce rebellibus auxilia sub-  
 mittere velit, donec Galli penitus e  
 Scotia fuerint depulsi. III. Nullum fœ-  
 dus cum Gallis pangat, nisi ea lege, ut  
 hoc regnum pristina sua fruatur liber-  
 tate. IV. Fœderatis tamdiu auxilia  
 suppeditet, quamdiu hi Mariam Stuar-  
 tam, velut Reginam suam venerabun-  
 tur. V. Si Angli in Scotia quasdam  
 urbes occupaverint, illæ mox aut solo  
 æquentur, aut Castri-Eraldi Duci tra-  
 dantur, prout ei libuerit. VI. Idem  
 Dux cum tota sua factione sese Anglo-  
 rum copiis adjungat. VII. Si Angli  
 oppidum quod meridiem respicit, ag-  
 gredientur, tunc fœderati duo peditum  
 millia, & ducentos Equites Reginæ  
 suæ in opem submittant. VIII. Si ve-  
 ro ex parte Septentrionali hostiliter a-  
 gant, tunc sese Anglorum exercitui  
 jungant. IX. Scoti obsides dent, qui  
 durante Francisci II. cum Maria Stuar-  
 ta

ta connubio, imo & paulo post in An- Sæcul. XVI.  
glia permaneant. X. Elisabetha omne A.C. 1560.  
suorum militum stipendium solvat, præ-  
da vicissim omnis eidem cedat.

## §. XIX.

*Regina violati pacti causas allegans.*

Paucis post diebus Elisabetha Angliæ *Thou. l. 24.*  
Regina, ut susceptæ Scotorum de-  
fensionis causas redderet, & violati,  
quod nuper cum Gallis inierat, fœderis  
invidiam amoliretur, scriptum Londini  
die vigesima quarta Martii promulgari,  
& per Gallias disseminari curabat: in eo  
itaque libello hæc exposuit: Quamvis  
gravissimis injuriis ob titulos, & insi-  
gnia, quæ Maria Scota usurpavit, essem  
affecta, nunquam tamen in animum in-  
ducere potui, ut hæc Regis Galliæ, &  
Uxoris ejus, qui ambo juvenes sunt, &  
per ætatem harum rerum, ut apparet,  
ignari, neque Regii Sanguinis princi-  
pum, aut Regni ordinum consensu, ac  
Concilio fieri crederem, sed potius Gui-  
sianorum hominum ambitiosorum arti-  
bus, ac machinis, qui Regnorum tur-  
bas in suum compendium ducunt, no-  
vandi studio factum arbitrata sim,  
cum illi bella ex bellis ferunt, eoquod  
se tranquillibus rebus diutius illegitima  
potentia, qua ad amplificandam fami-  
*Hist. Eccles. Tom XLIII.* Oo *liam*

Sæcul. XVI  
A. C. 1560.

liam abutuntur, frui posse desperent, nam quorsum tituli, & insignia Angliæ, nisi in meam perniciem assumunt? aut cur sub Religionis obtentu arma in Scotia parantur, nisi ut distractis Galliz viribus, quorum res interim inclinant, non omitterent, si qua occupandi Britanniam occasio daretur? itaque cum iis sæpius egi, ut nomina illa, ac titulos delerent, neque paterentur, quod ex tam iniqua causa rursus odiorum semina prope extincta succrescant: imo operam potius dent, ut tumultus in Scotia ob Religionem exorti, quos ob viciniam, ac causæ conjunctionem negligere non possum, amice componerentur: id autem commode fieri poterit, si milites Galli inde deducerentur, quo facto & ego meos revocatura sum: porro ut omnes intelligant, quanto pere tranquillitatis publicæ, & otii tum inter meos, tum inter vicinos populos studiosa sim: spondeo, me effecturam legatorum meorum interventu, ut tumultus sedentur, & debita Reginae sue obedientia a Scotis præstetur: verum hæc hæctenus frustra fuere, quod admodum doleo, nihilominus pacta nuper cum Gallis inita rata, ac firma cupio, idque volo cunctis notum esse, ac propterea meis impero, ut amicitiam, ac commercium, uti antea, religiose, ac libere

libere colant, de Gallis honorifice loquantur, nihilque committant, quo pacis leges violasse merito dici possent: opto vicissim, ut Guisiani Principes Regis, & Gallorum opibus abutentes a vicinorum injuria abstineant, neque me per Scotorum latus petant: quodsi nihilominus perseverent, non possum meo officio deesse, & amicorum, ac meam salutem in præsentis discrimine, & tam necessario tempore deserere: hinc futurum spero, ut justa a me arma sumpta Deus justæ causæ vindex prospere, meque, ac meos adversus iniquas hostium spes, ac vires ope præsentis tueatur.

§. XX.

*Elisabetha Scotorum copias revocare a Franciæ Legatis rogata.*

Cum hoc scripto Guisii Principes ingentem invidiam sibi accersiri cernerent, datis literis Michaelem Sevreum Equitem Melitensem, ac Franciæ Regis in Anglia Oratorem sollicitant, quatenus Elisabetham induceret, ut copias in Scotiam missas revocet, neque homines natura perferoces auxiliis suis contumaciores, & erga legitimum Regis, ac Reginæ imperium magis inobedientes reddat.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

Thuan. l. c.  
Cambden  
in hist. Regni  
Elis.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Intervenerat etiam huic negotio Philippi II. Legatus, ac præterea a Gallis mittebatur præter ordinem Legatus Joannes Montlucius Valentiaë Episcopus vir rerum Scoticarum non ignarus, & alioquin, quod Protestantium causæ favere diceretur, minus Elifabethæ, & fœderatis in Scotia suspectus: verum cum Angliæ Regina in proposito perstaret, velletque, ut prius Galli e Scotia suos milites educerent, quam ipsa suos revocaret, hinc Sevreus rursus instabat, ac commemoratis Regis sui erga Anglos officiis, hæc edicit: „ non a-  
 „lia Franciæ Regis mens est, quam ut  
 „pacem a Parente Henrico cum Anglis  
 „factam servet: copias vero in Scotiam  
 „eo consilio misit, quatenus rebelles ad  
 „officium cogeret: quo in negotio, an-  
 „tequam ad arma deveniebatur, Elifab-  
 „ethæ amicam operam imploravit, ac  
 „nunc etiam petit, ut pugnantes inter  
 „partes pacem conciliet; neque enim ar-  
 „mis suis aliud Rex quærit, quam  
 „ut æqua pax in Scotia constituatur,  
 „& obsequium Regibus debitum red-  
 „datur: quod si id Angliæ Reginaë in-  
 „terventu fieri potest, magnas ei gra-  
 „tias Rex habiturus, & suas copias in-  
 „de protinus deducturus est: hinc id  
 „ipso jam per Valentiaë Episcopum si-  
 „gnificavit, eoque miratur magis, quod  
 „nihil-

„nihilominus Regina non solum auxilia  
 „rebellibus in Scotia miserit, sed etiam  
 „adversus Regem palam, ac passim  
 „hostiliter se gerat, proinde, ut se a bel-  
 „li consiliis Rex alienum probet, denuo  
 „declarare vult, quod non aliud petat,  
 „quam ut rebelles in Scotia ad officium  
 „redeant, & veniam deprecanti Regibus  
 „se obsequentes in posterum futuros pro-  
 „mittant, quo facto Rex præteritorum  
 „oblivionem, ac delictorum gratiam fan-  
 „ciet, & vires omnes, nisi quæ ad suam,  
 „& Reginæ Uxoris dignitatem necessa-  
 „riæ judicabuntur, inde deducet, si vero  
 „nihilominus Angli rebellibus Scotis  
 „præsto essent, ac Gallos oppugnare  
 „non desinerent, tunc non sponte, sed  
 „coactus ad arma quamvis justa descen-  
 „det.„ Hæc scripto comprehensa Se-  
 „vreus Reginæ Elisabethæ exhibuit, &  
 die vigesima Aprilis passim publican-  
 da curavit.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1560.

§. XXI.

*Letha a Fœderatorum copiis  
 obsessa.*

Jam aliquamdiu Fœderati Letham ur-  
 bem undique cinctam tenebant, fer-  
 vente autem hac obsidione Galliarum  
 Rex nullum non movebat lapidem, ut  
 ab Elisabetha impetraret, quatenus suas  
 copias, quæ terra, marique jamjam ad-

*Burnet.*  
 p. 622.

O o 3

vene-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560. venerant, revocaret: Interim Regina Administratrix, cum Lethanæ urbi includi vereretur, in arcem Edimburgensem secedere statuit: porro hanc ipsam arcem ex Regni Ordinum consensu tenebat Joannes Areskinus, innocentiae, ac diligentiae spectatæ vir, eamque hac lege ex publico concilii decreto custodiendam acceperat, ut nemini nisi ejusdem concilii jussu illam redderet: quamvis vero id unum summopere caveret, ne vi sibi, dolove ea eriperetur, Regentem tamen tali tempore excludere noluit, summa prudentia in eo usus, ut & officio non deesset, & tamen arcem simul in potestate retineret: id ubi cognovere fœderati, etsi Regentem jam omni auctoritate spoliassent, de eventu belli tamen incerti longe moderatiori oratione quinto die Aprilis ad eam Dalketo scribunt, & supplices orant, ut Gallos metum servitutis intentantes e Regno migrare jubeat, & desperatæ plebis animos concepta formidine liberet: iisdem quoque literis protestantur, quamvis gravissima patiantur, nullo periculo coactum iri se, ut ab obsequio erga Reginam discedant, aut Regi ejus Marito ulla in re, quæ non ad patriæ libertatis interitum, aut suum, posterorumve exitium sit spectatura, resistant.

## §. XXII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.*Galli ob pacis desiderium copias in  
Scotiam mittere haud amplius  
ausi.*

Cum hæc interea gererentur, nihil fere memorabile factum in Lethæ obsidione usque ad nonas Maji, nisi quod Angli, cum viderent globorum e longinquo venientium impetus evanescere, castris trans fluvium positis propius oppido tormenta admoverent, ut inde certiores, ac validiores ictus dirigendi, & cominus sæpius cum Gallis confligendi facultas esset. Porro tum igne forte in Urbe accenso certatum fuit, dum crebra displosione Gallos, quominus incendium restinquerent, prohibent, & eodem tempore impetum in murum facere conantur: die autem decima quinta Aprilis Galli ex urbe erumpentes, quædam belli tormenta impactis clavis obstruebant, ac trigesima die ejusdem Mensis Anglos admotis scalis impetum in urbem facientes repellebant, & denique die septima Maji rursus Angli irruptionem quidem tentabant, quæ tamen haud melius successerat, adeo, ut hujus obsidionis diuturnitas, crebræque difficultates jamjam Anglorum animos frangere inciperent, quamvis Norfol-

*Thuan. &  
Cambden l. 6.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

gliaæ Dux submissis a Provincia sua validis suppetiis eos ad continuandam obfidionem sua etiam præsentia animaret: nihilominus ægre urbem in suam potestatem redeçissent, nisi Guisii Principes ex Ambasiana conspiratione, quæ tum in Galliis detegebatur, haud obscure cognovissent, quod præsentis rerum vicissitudines haud permetterent ea exequi consilia, quæ adversus Anglos moliebantur: quapropter nullas amplius copias in Scotiam transmittabant, quinimo illas etiam, quæ jamjam ibidem erant, revocare statuebant, earum opem in Galliis magis necessariam fore rati. Hanc ob rem Montlucium Valentiaæ Episcopum, necnon Carolum Rupifacaldium Ramdanum in Scotiam, unacum plena pacem sancienti potestate a Rege facta ablegabant; re autem comperta vicissim Elisabetha suo nomine Cecilium, quem a secretis habebat, necnon Wottonum Doctorem æquali facultate instructos decreverat, iique Deputati præprimis sanciebant, ut proximo Mense Julio Edimburgi Conventus haberetur, interea vero factæ fierent induciæ, quæ usque ad futuri colloquii exitum suam obtinerent firmitatem.

## §. XXIII.

*Reginæ Scotiæ Administraticis  
obitus.*Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

Durantibus adhuc hisce induciis Regina Scotiæ Regens die decima Junii Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo rebus humanis erepta est. Erat illa Claudii Lotharingii primi hujus nominis Guisiorum Ducis, necnon Antonix Borbonix Vindocinensis Filia, quæ ingenti cum sollicitudine educata die quarta Augusti Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto Ludovico Aurelianensi hujus nominis secundo Longevillæ Duci primis nuptiis juncta fuit, circa Annum autem Domini millesimum quingentesimum trigessimum septimum suo Marito orbata est. Ceterum Corpus hujus Reginæ cura Lotharingii Cardinalis fratris sui in Gallias delatum Rhemis in Monasterio D. Petri, cujus Renata defunctæ Reginæ Soror erat Abbatissa, terræ mandatum fuit, ac in magna tumba in medio Choro reconditum.

*Thuan. l. c.  
S. Marth.  
hist. gen. de  
de la France  
Claude Des-  
pen. elog.  
funebr.*

## §. XXIV.

*Edinburgense fœdus inter Franciam,  
Angliam, & Scotiam.*

O o 5

Quam-

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

*Thuan. l. c.*  
*Buchan. hist.*  
*Scot.*  
*Rymer. act.*  
*publ. Angl.*  
*t. 15. p. 593.*

Quamvis ob hujus Reginae obitum Scotiae res variis mutationibus obnoxias fore arbitrarentur non pauci, nihilominus Gallorum Oratorum prudentia, & Angliæ Legatorum dextertate, cum Angli honestam ab armis discedendi occasionem quærerent, tandem incredibili omnium consensu octava Julii die pax fuit promulgata his fere conditionibus: I. Galli intra vigesimum diem salvis impedimentis evigilent; II. Naves ad id, quoniam Gallicæ ad tantam multitudinem transportandam non sufficerent, Angliæ Regina commodet: III. Lethæ muri diruantur, ac Dumbari munitiones dejiciantur: IV. his peractis Angli copias reducant: V. Maria Scotorum Regina consentiente Rege Marito suo oblivionem omnium, quæ in Scotia a decima Martii Anni supra millesimum quingentesimum quinquagesimum noni usque ad primam Augusti diem hujus anni gesta, aut patrata fuerunt, omnino sanciat, eaque sanctio in proximo ordinum Conventu, qui in mensem Septembrem differetur, approbetur, conventuique habendo Franciæ Regis, Mariæque Conjugis auctoritas accedat, quibus etiam licitum sit, ne totius Regni possessione dejecti videantur, Ketham Insulam, & Dumbarum cum sexaginta præliariis Gal-  
lis

lis retinere: ut autem pariter Elisabe-  
thæ rebus confuleretur, hinc eæ, quæ  
sequuntur, adhuc addebantur conditio-  
nes. I. Imposterum Maria, & Francif-  
cus II. haud amplius Regis, ac Regi-  
næ Angliæ titulo utantur, nec eadem  
insignia usurpent. II. Diplomata sub  
ejusmodi titulo promulgata declaren-  
tur invalida, atque irrita. III. Utrius-  
que Regni Deputati colloquium Londi-  
ni habeant, ubi de satisfactiōe per E-  
lisabetham petita deliberetur. IV. Si  
hi Deputati convenire præpedirentur,  
standum erit decisioni Hispaniæ Regis,  
ac promissa Scotis facta adimpleantur.

§. XXV.

*Tripolitana expeditio a Philippo II.  
suscepta.*

Jam antea Joannes Valeta supremus  
Melitensium Equitum Magister cum  
Carvano Califa adversus Dragutem fœ-  
dus inierat, nunc vero Guimorano e-  
jusdem Ordinis Equiti Commendatori  
negotium dabat, ut de recuperanda  
Tripolitana Insula, quam Dragutes il-  
lius Princeps pro colligendis suis co-  
piis, necnon pro imperii sui sede sibi se-  
legerat, cum Joanne Cerda Medinæ-  
Cœli Duce, ac Italiæ Pro-Rege ageret.  
Hic ergo fervente Gallorum bello hac  
super re ad Philippum II. literas dabat,  
qui

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

Thuan. l. 26.  
n. 5.  
Vertot. hist.  
de Malthe  
tom. 3. l. 12.  
p. 389.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560. qui tamen tunc omnino annuere recusabat: ast reddita pace Regi Catholico hoc consilium magis arridere cæperat, ac sollicitationem sibi ex consilio supremi Magistri factam approbat, eo potissimum nomine, quod illius fortitudinem, ac rerum bellicarum peritiam sibi perbene perspectam haberet, ejusque Equites non minus sumptuum, quam periculorum socios fore nosset: Itaque Sueffæ Duci Mediolanensium Gubernatori, necnon Alcalæ Duci, qui tum Neapolitano Regno præerat, ac denique Joanni Andreæ Aurix suarum triremium Præfecto injungit, ut omnes copias contraherent, easque in Siciliam ducerent: supremum vero earum imperium Rex demandabat Medinæ-Cœli Duci, dato eidem negotio, ut in hac expeditione supremi Magistri consiliis uteretur. Verum hi tres Principes, cum Siciliae Proregi totius hujus expeditionis curam cum tanta auctoritate demandatam ægerrime ferrent, invidiæ stimulis agitati sub variis prætextibus Regis Hispaniæ jussa exequi cunctabantur, adeo, ut Philippus Guimarum Equitem in Italiam ablegare cogeretur, qui rursus Regis mandata eisdem significaret.

## §. XXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C 1560.*Classis in Africam trajectura ex-*  
*currit.*

Nihilominus insuperhabita omni, quæ *Thuan.l.c.*  
impendebatur, solertia, classis non-  
nisi prima Decembris die Anno mille-  
simo quingentesimo quinquagesimo no-  
no excurrere poterat, eaque constabat  
tribus triremibus a summo Pontifice  
submissis, tredecim ab Auria instructis,  
septem Neapolitanis, decem Siculis, &  
quinque Melitenibus triremibus, quibus  
impoliti erant quadringenti Equites,  
& mille quingenti Equestri Ordinis  
milites præter unum minoris, & duo  
majoris formæ navigia. Advenerant  
Melitam omnes, hæ triremes, ex qui-  
bus tamen viginti duas remittere oportebat,  
ut navigia ob ventorum repugnantiam in  
littora relicta remulcis attraherent: Interea  
vero Hispani, cum in hac Insula hæerere  
cogerentur, grafante lue magno numero  
conficiebantur, indeque sinister expeditionis  
successus timebatur: nihilominus Christianorum  
classis ineunte Mense Februario hoc anno  
supra millesimum quingentesimo sexagesimo  
vela dabat, ac prope Gerbinam Insulam  
advenit; ibi enim Dragutes morabatur  
gravi implicitus bello adversus Schleichum  
Maurorum caput:  
Enim-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560. Enimvero si Hispani hac rerum oportunitate usi fuissent, cunctasque copias in terram exposuissent, hic Pirata omni ex parte invasus certe effugere haud potuisset, atque eo capto abs dubio etiam Tripolis fuisset occupata: verum illi duntaxat velitationibus tempus terrentes valido Turcarum agmini, quod in ejus opem accurrebat, se jungendi spatium indulgere. Postea classis rursus vela fecit, atque Auria non nisi longo post tempore animadvertit, quod Draguten capiendi occasionem neglexisset. Denique cum propter adversam ventorum vehementiam Christiana classis ad Palum Insulam centum quinquaginta miliaribus Tripoli distitam remanere cogeretur, ibidem quamplurimi milites peste perierunt, ac prætoriana navis, quæ vario commeatu onerata erat, Kerkenum propulsata fuit; quapropter Auria ad Gerbin Insulam reverti statuit.

## §. XXVII.

*Gerbis Insula a Christiana classe ibidem subsistente capta.*

Quamprimum classis Gerbin appulsa erat, Auria confestim Mauros Turcarum hostes, quotquot in Hispano exercitu erant, in terram exponi iussit, ut vias, per quas ab Insula ad continentem

tem transitus patet, obsiderent, Hisi-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 ta dispositis Christianorum exercitus <sup>A.C. 1560.</sup>  
 facta exscensione feliciter appulsus in  
 maris ora, quam Schleichus, seu hujus  
 Insulæ Princeps tenebat, exscensionem  
 facere parabat: verum hic Maurus mox  
 Christianorum Belliducem rogabat, qua-  
 tenus nulla mora Tripolin reverteretur, <sup>Vertot. l. c.</sup>  
 eo quod facile, si Christiani diutius in <sup>p. 395.</sup>  
 hac Insula subsisterent, ipsum Turcæ,  
 quibuscum tamen tranquille vivebat,  
 in sinistri consilii suspicionem trahere  
 possent: Ad hæc respondit Bellidux,  
 quod adversis ventis ad hanc Insulam  
 remeare esset compulsus, de cetero dun-  
 taxat dulces aquas haustum venisset.  
 Sub idem etiam tempus quasdam co-  
 pias, quæ aquam asportarent, exscen-  
 dere iussit, verum quantocius Mauri, qui  
 sub exigua colle latitabant, in eas toto  
 impetu erumpebant, quamvis post cruen-  
 tam quatuor horarum pugnam fuga  
 sibi consulere compellerentur, Christia-  
 nis interea in aciei loco castra metan-  
 tibus, ut puteos purgandi, ac salubres  
 ex eis aquas hauriendi spatium nancif-  
 cerentur. Reportata hac victoria Schei-  
 chus missis ad Belliducem Oratoribus  
 eidem, quod Regis Catholici subditus  
 esse vellet, declarabat, atque in promif-  
 si pignus eidem obsides submittebat,  
 arcemque, quæ toti dominabatur civi-  
 tati,

Sæc XVI.  
A C. 1560.

tati, tradebat. Postea habito belli Senatu ex Auriæ Ducis consilio sancitum, arcem propugnaculis tam valide esse muniendam, ut facile ipsam Insulam in suam potestatem redigere, simulque Siciliam, & Sardiniam adversus Turcarum, & Maurorum excursiones tueri possent. Ergo quantocius quatuor saxei aggeres in aciem prominentes eriguntur, Italis peditibus operam suam strenue navantibus, atque Andrea Gonzaga hujus laboris sollicitudinem in se suscipiente.

§. XXVIII.

*Turcæ cum maritimo exercitu in opem accurrentes.*

Postquam supremo Melitenfium Magistro nuntiatum erat, quod Sultanus validam instrueret classem, mox Guimaranum Equitem revocabat, dato negotio, ut die octava Aprilis unacum Ordinis triremibus discederet. Ceterum Carvanus Califa Belliducem visum i-  
bat, eique quamcunque opem offerebat: verum Schleichus id obsequii genus, quamvis nonnisi novem distaret milliaribus, eidem denegabat, veritus, ne comprehenderetur: Califa autem in Alcorani verba jurans Regi Catholico, præsentem Montregalio, qui Belliduci ab epistolis erat, submissionem spondebat,

Sæc. XVI.

A.C. 1560.

debat, pollicitus, se quotannis sex aureorum millia, quatuor Struthiocamelos, totidemque Dorcades, & Falcones tributi nomine oblaturum, quo eodem etiam jurejurando ceteri omnes Mauri, qui eum comitabantur, sese obstringebant, cum vero Bellidux a supremo Magistro edoctus esset, quod classis Ottomanica Gaulos Insulam versus tenderet, ac cum octoginta novem triremibus Tripolitanæ urbi opem ferre, Christianorum vero exercitum profligare pararet, sine ulla mora suas copias navibus imponere, ac vela facere statuit, Baraona Tribuno in Insula Gerbi relicto unacum duobus peditum millibus, tam Italis, quam Hispanis, atque Germanis: mox autem Turcicæ classis Præfectus, qui sexdecim milliaribus ab hac Insula suas naves applicuit, Karam Mustapham Lesbiensem Bassam, aliumque emittebat, ut Christianorum exercitum explorarent: cum ergo ambo hi Bassæ Piali, qui supremum tenebat imperium, hostilem exercitum gravibus premi calamitatibus referrent, eundem antelucano tempore aggredi statuit.

§. XXIX.

*Christianorum exercitus a Turcis profligatus.*

*Hist. Eccles. Tom. XLIII. P p Enim-*

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

*Thuan. l. 26.*  
*Natal. l. 12.*  
*Spond. hoc*  
*ann. n. 28.*

Enimvero Pialis in Christianos tanto furore, tamque prospero successu irruerat, ut una diei hora nondum emensa jamjam omnia navigia, ac triremes dissiparet, atque ingenti terrore, ac confusione Christianorum classem involveret: cum vero triremes ob contagionis sævitiam congruo ad transtra damnatorum, ac militum numero essent destitutæ, rebus undique confusis quilibet ea duntaxat, quæ ipsi timor inspirabat, ad instar bellici mandati exequeretur, imo quælibet Belliducum naves prælium instaurare haud sollicitæ unice intentæ erant, ut hostilium tormentorum furorem evaderent: quapropter viginti triremes, & quatuordecim grandiora navigia cum omni apparatu, cunctisque hominibus, qui illis impositi erant, capta fuere: insuper Turcarum cymbæ militibus instructæ, cum nemo obsisteret, plures Christianorum triremes expugnabant, eoquod hæ subsidibus maris undis in arenarum cumulis immotæ hæere compellerentur. Reportata hac victoria turcæ, cum nil ultra sibi ab hoste metuendum cernerent, in lætitiæ signum omnia belli tormenta explodebant, editisque ubique publici gaudii signis, altera die copias suas in terram exponere decernebant, ut Insulam suæ subicerent potestati, ac residuos

fiduos Christianos in servitatem abstra-  
herent: cum ergo Pro-Rex ob hanc Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
cladem animo dejectus, ac non minus  
ignominia suffusus, quam dolore tactus  
eoquod Aurizæ consilium secutus non  
fuisset, qui noctu omnes copias ad na-  
ves revocari, nullatenus vero Turcarum  
adventum exspectari voluit, primas eo  
curas intendit, ut fuga sibi consuleret,  
unde per Carvanum Califfam, necnon  
per Tunetani Regis filium efflictim Schei-  
chum rogabat, ut suos milites benigne  
haberet: ast hic illos adeo non exceperat,  
ut ipse etiam aufugeret, atque  
in montibus securitati suæ prospiceret,  
veritus, ne in Turcarum manus inci-  
deret.

## §. XXX.

*Funesta mala ex Christianæ classis  
clade suborta.*

Postea Joannes Andreas Auria unacum Thuan. l. c.  
septem triremibus adversante vento  
in Gerbiensis Insulæ canalem depellit-  
tur, ubi Christiani uno milliari a terra  
distantes in undas profiliunt, rursus  
omni, quo poterant, modo in Insulam  
excipientes: nonnullæ vero triremes  
sequebantur Equitem Maldonatum, qui  
ad Sphaxense Promontorium delatus,  
in altum maris excurrit, atque incolumis  
Melitam pervenit: Porro illi omnes,  
Pp 2 qui

Sæcul. XVI  
A C. 1560.

qui in Insula Gerbi erant, habita inter se deliberatione consultissimum censebant, ut Pro - Rex, atque Auria Mesfinæ Portum in Sicilia attingere fatagerent, Alvarus vero Sandæus celebris Bellidux in arce remanens illam strenue tueretur: Itaque Hispani eodem adhuc vespere unacum novem minoribus navigiis vela faciebant.

Ceterum in hac expeditione a Turcis capti sunt quamplurimi, atque inter ceteros Nobiles præcipue Flaminius Anguillara Pontificiarum triremium Præfectus, Sanctius Leva Neapolitanæ classis Architalassus, Berengerius Requesenes, & Gasto Cerdæ Ducis, ac Siciliæ Pro - Regis Filius, exercitus Dux, præter Episcopum Majoricensem. Reportata hac victoria Pialis Bassa Ottomanicæ classis Præfectus mancipiis, ac præda onustus Constantinopolin reversus Draguti, qui tum Tripoli agebat, præcepit, ut Gerbim Insulam aggrederetur. Hic quantocius mandata exequens suos milites exscendere iussit, ac præprimis minora occupavit propugnacula, quæ ab Hispanis eo adventantibus prope puteos fuere erecta. Verum Sandæus, cum suorum paucos admodum in Insula numeraret, hunc Piratam excursionem facta aggredi non audebat, haud consultum ratus, militum suo-

fuorum vitam ancipiti forti exponere, præcipue cum de suppetiis proxime submittendis haud dubitare posset, eoquod ab hujus Insulæ conservatione totam rei summam dependere, Hispanis sat perspectum esset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. XXXI.

*Gerbis Insula a Dragute obsessa.*

Attamen puteorum jactura obsessis oppido funesta erat, eoquod diutius salubri aqua destituti, donec cisternæ pluviis copiose cadentibus replerentur, expectare cogentur: interea autem æstivis caloribus indies magis excrescentibus obsessi sæva siti cruciabantur, tantaque erat aquæ penuria, ut ea auri pondere venderetur: nihilominus quoddam miseris levamen afferebat quidam Siculo, nomine Sebastianus Pollira, qui ingenioso distillationis artificio falsam maris aquam in dulcem convertere noverat. Attamen aucta aquæ penuria plures sitis vehementiæ ulterius resistendo impares pulveri pyrio ignem subicere, arcemque uno impetu disicere decreverunt, ut sese a calamitatum, quibus pene conficiebantur, diuturnitate saltem subitæ mortis beneficio liberarent.

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

§. XXXII.

*Gloriosum facinus Alvari Sandæi.*

*Thuan. l. 26.  
num. 9.  
Vertot hist.  
de Malte  
tom. 3. l. 12.  
p. 405.*

**I**nterea Tunetanus Rex, qui jam dudum cum Hispanis amicitiam clam fovebat, cum fortunam Turcis adspirare cerneret, quatuor triremes panibus bis coctis onustas pro exercitus sui alimento submiserat: cum ergo Alvarus Sandæus arcis obsessæ Præfectus sua belli tormenta armamento ligneo destituta, & valla sua aggeribus Turcarum disjecta, suosque aquæ penuria laborare cerneret, ac reliquos milites morbis confectos, viribus exhaustos, ac languentes doleret, sibi per gladium acies viam aperire statuit, ne saltem inulte moreretur, si hostem vincere, aut repellere, adversæ fortunæ invidia prohiberetur: Igitur die vigesima septima Junii milites suos, ut pristinæ suæ virtutis memores essent, hortatur, ac quicquid ad accendendos eorum animos efficax esse censebat, exponens, cum superatis duabus fossis ad tertiam, in qua Bassæ tentorium erat, perveniret, ad strepitum Turcis somno excitatis, a suis per summam ignaviam derelictus est, unde retro per viam a quopiam ex suis comitibus monstratam sese ad arcem ex parte maritima recipere cogebatur, mox tamen conscensis triremibus,

bus, quæ ex naufragio residuæ apud <sup>Sæcul. XIV.</sup> arcem hærebant, auffugere parabat: <sup>A.C. 1560.</sup>  
 cum vero a circumfusa scapharum multi-  
 tudine undique cinctus esset, captus ad  
 Pialim Bassam abducitur, qui Viri forti-  
 tudinem miratus, eundem perhonorifice  
 habuit, illumque sibi assidere iussit, pro-  
 positis etiam amplissimis conditionibus,  
 si Solimano operam suam addicere vel-  
 let: Verum Sandæus id facere cum  
 summa animi sui generositate recusabat.

## §. XXXIII.

*Insula, & ars a Turcis expugnata.*

Capto Sandæo illi, qui in arcem sese  
 receperant, exeunte Mense Junio  
 se Turcis dedidere, in captivitatem  
 una omnes abstracti: Bassa vero arcem  
 ingressus cuncta munimenta solo æquari  
 iussit, veritus, ne post suum discessum  
 Christiani illam recuperare tentarent:  
 igitur in hac infauſta expeditione tam  
 hostium gladiis, quam luis vehementia,  
 aut servitutis calamitate ferme quatuor-  
 decim Christianorum millia periere:  
 insuper ex sola Hispanorum classe vi-  
 ginti octo triremes, & quatuordecim  
 naves onerariæ, præter Pontificis, ac  
 duo Cosmæ Florentini Ducis navigia  
 amissæ fuere: Petrus enim Machiavel-  
 lus, qui Florentinæ classi præerat, cum  
 hisce duabus triremibus quidem evase-

*Thuan. l. 26.*  
*Sigon. in*  
*vita Andr.*  
*Doricæ.*

Sæcul XVI.  
A.C. 1560.

rat, hæ autem paulopost a tredecim Algerianis triremibus prope Insulam Ægillum circumventæ, ad scopulos haud procul ab insula corsicana impactæ, ac diffractæ sunt, Belliducibus tamen, & militibus a classe segregatis, atque excensione in terram facta periculum eluctantibus: captivos quoque remiges, qui duntaxat e Mahometanis constabant, Turcæ libertati reddebant. Porro Sandæus tam infausti successus culpam in Petrum Velasum supremum classis Curatorem rejiciebat, eoquod illius negligentia contigisset, ut ea, quæ ad perfectionem necessaria essent, in tempore subministrata non fuerint, proin classis discessum plus justo differre coacta fuisset.

## §. XXXIV.

*Sandæus captus Constantinopolim abductus, ac postea liberatus.*

*Thuan. l. 26.* Parta insigni hac victoria Turcæ ab Insula discedentes, die decima sexta classem suam ad Gaulos Insulam applicuerunt, inde vero Constantinopolim vela facientes Sandæum secum captivum abstraxerunt, ubi Solimanus forti huic Viro easdem condiciones nuper ipsi a Bassa propositas offerebat: ast cum is illas acceptare recusaret, eundem Solimanus unacum Sanctio, Leva, & Berengerio de Requesanes in vincula conjici jube-

jubebat, frustra pro eis deprecante Phi-  
 lippo II. (\*) Rege; quippe Turcæ ob  
 fœdus nuper initum, quod eorum rebus  
 minus commodum erat, exacerbati ho-  
 rum captivitate ultionem exerere stude-  
 bant: cum vero Augerius Ghislinis  
 alias Busbequius, seu Boesluc dictus  
 apud Ottomanos Ferdinandi Orator per  
 Halim Bassam, & Ebraimum Interpre-  
 tum principem rescivisset, quod tunc,  
 si Ferdinandi nomine Hispanorum libe-  
 ratio peteretur, forte Solimanus ei hanc  
 gratiam non recusaret, hinc Augerius  
 ea de re Cæsarem certiolem faciens,  
 eorundem opera utebatur, a quibus  
 monitus hanc gratiam a Solimano pe-  
 tierat, nec irritò successu; quippe pro  
 omnibus, pro quibus libertatem exora-  
 bat, etiam eam obtinuit, omnesque die  
 decima Augusti Anno supra millesimum  
 quingentesimo sexagesimo secundo libe-  
 rati sunt, quibuscum induciis postea  
 initis Busbequius Constantinopolim de-  
 latus Sophiam venit, adducto secum  
 Sandæo: Leva autem & Requesenes  
 diversum ab eis iter proferebantur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1560.

Pp 5

§. XXXV.

(\*) Thuanus, ex quo Continuator hæc  
 descripsit, non Philippi, sed *Regis Christia-  
 nissimi* mentionem facit; utriusque autem *Re-  
 gis* nomine fœdus fuit initum.

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

§. XXXV.

*Andreas Auria Viri celeberrimi  
obitus.*

*Sigon. l. c.  
Tau. l. c.*

**H**ic idem, cujus nunc mentionem fecimus, Joannes Andreas Auria Nepos erat alterius Andree Auria, qui inter celeberrimos decimi sexti sæculi Architalassos merito recensendus venit, cum vero ob ætatem decrepitam Africanæ hujus expeditionis labores haud amplius subire posset, hanc curam suo commisit Nepoti, qui tum in Sicilia agebat: porro ipsemet Andreas nonagesimo quarto ætatis anno, Christi autem millesimo quingentesimo sexagesimo die vigesima quinta Novembris in magnifico Palatio, quod sibi in quodam Genuensi suburbio exstrui curabat, vivis ereptus est. Claruit raris omnino, atque heroicis virtutibus, ac Dei cultum toto studio promovens insuper patriæ suæ salutem in præcipuis curis habuit, ac libertate ei procurata Reipublicæ administrationem ita disposuit, ut Nobiles quoque ad supremi Magistratus dignitatem, a qua antea exclusi fuerant, admitterentur, ac nobilium auctoritas depressis plebæis familiis plurimum augetur: cum autem nullos posteros relinqueret, omnem suæ auctoritatis spem in Joanne Andrea Janetini

tini filio reposuit, eique Turfinam urbem ære alieno maxime gravatam reliquit. Postea, Joannes Andreas sexto post Patru sui obitum die Genuam venit, & statim post reditum suum Genuenses, qui defuncti Aurixæ cadaver sine ulla funeris pompa noctu interea sepulturæ dederant, eo inclinabat, ut amplissimis in majori Urbis templo exequiis magna pompa celebratis, civi de Republica optime merito, hoc saltem insigni animi grati testimonio parentarent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. XXXVI.

*Gustavi Sueciæ Regis mors.*

Eodem anno die vigesima nona Septembris Gustavus Sueciæ Rex septuagenarius Lutheri hæresi immortuus periiit. Erat is Erici Wazæ Gripsholmiæ Ducis Filius, qui Christierno II. Daniæ Rege ex Suecia, quam hic Anno millesimo quingentesimo decimo octavo subegerat, expulso hujus regni Princeps, atque administer declarabatur, & postea prope Upsalmiam Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio Rex proclamabatur, unde hoc regnum, ad quod antea electionis sorte Reges vocabantur, postea ad Gustavi familiam hæreditario jure devolutum est. Hic potius Tyrannum, quam Patrem in suo regi-

Thuan. l. 6.  
Spond. hoc  
ann. 30.  
Joan.  
Magn. hist.  
Suec. l. 24.  
Chytræus  
l. 9. & 8.

Sæc. XVI.  
A. C. 1560.

regimine se exhibuit, ac regnum suum Lutherana peste infecisse haud contentus insuper omnem sævitiam in Nobiles effundebat, nonnisi summa avaritia insignis, nec minus dire vexabat Episcopos, ex quibus illos omnes, qui ejus iniquitatibus suffragari renuebant, regno expulit, totiusque populi sui invidiam sibi accersivit. Reliquerat superstitem Catharinam conjugem suam Magni Saxonæ - Laxumburgensis Ducis filiam: Ericus vero hujus nominis decimus quartus Gustavo in regno successit, qui die decima tertia Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio natus, æque ac parens suus Lutheri sectam professus erat, atque Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo primo coronatus septimo post anno e folio suo dejectus est, eoquod suam concubinam publico connubio sibi junctam velut Succiæ Reginam promulgari jussisset. Porro postea unacum indigna hac Regina in carcerem conjectus est, ac Joannes ejus frater communi omnium Regni Ordinum, ac Procerum consensu Rex nominatus fuit.

§. XXXVII.

*Joannes Bellajus Cardinalis mortuus.*

Pari-

Pariter sacrum Purpuratorum Collegium hoc anno quatuor Cardinalium jacturam deplorabat, quorum primus erat Joannes Bellajus, Ludovici Bellaji Langey filius, qui variis temporibus, & quidem Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo secundo Bajonensis, & postea Parisiensis, Cenomanensis, & Lemovicensis Episcopus creatus est, ac denique præter S. Gildæ, & S. Mauri Fossatensis Abbatias Burdegalensem Archiepiscopatum obtinuit, tandem vero a Paulo III. Papa die vigesima prima Maij Anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo quinto Cardinalis tit. S. Cæcilie renuntiatus est: quem tamen titulum commutabat, primo S. Petri ad vincula, postmodum S. Adriani, dein S. Chrysostomi, ac denique S. Mariæ transtiberim Cardinalis nominatus, obiitque hoc anno Romæ feria sexta die decima sexta Februarii annos natus sexaginta octo, ubi etiam sepultus est in Ecclesia S. Trinitatis de Monte Pincio. Reliquerat is posteris tres latinorum carminum libros, quorum primus Elegias, alter epigrammata, tertius Odas complectitur, quibus lucubrationibus sibi ingentem comparasset famam, si duntaxat in tanto Viro ars poetica fuisset desiderata. Exstat adhuc illius oratio præ-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

*Ciacon. in vit. Pontif. l. 3. p. 568.*  
*Paul. Jov. l. 25. Et in elog.*  
*Thuan. hist. l. 26. Petramel. de Card. in Pium. IV.*

**Sæcul. XVI.** præsentibus Clemente VII. & Francisco I.  
**A.C. 1560.** Massiliæ habita præter quasdam panegy-  
 res, & epistolas. Inter suos domesti-  
 cos etiam numerabat celebrem Rabe-  
 lasium.

## §. XXXVIII.

*Pacceci Cardinalis extrema.*

**Ciac. p. 719.** **A**lter ex Cardinalibus, qui eodem an-  
*Aubery vie* no fatis cesserunt, erat Petrus Pa-  
*des Cardin.* cecus natione Hispanus, nam Patrem  
*Ughel in* habuit Alphonsum Tellez Giron, qui ex  
*Ital. Sacra.* Martino Vasquesio Acuna ortis There-  
 fiæ Tellez Giron hujus familiæ hæredi-  
 matrimonio junctus erat. Ejus Filius  
 Alonfus, seu Alphonfus Tellez Giron  
 Mariam Paccecam alteram ejusdem  
 generis hæredem sibi copulans ex ea  
 filium suscepit Joannem Paccecum Gi-  
 ron Ordinis S. Jacobi Equitem, primum  
 Villenæ Marchionem, atque Escalonæ  
 Ducem, qui copiosa prole fœcundus  
 præter Joannem, & Alphonsum Cala-  
 travensem Equitem insuper suscepit Pe-  
 trum, de quo impræsentiarum differi-  
 mus. Hic percurso studiorum studio  
 præprimis Adriano VI. Pontifici a cubi-  
 culis erat, postea vero Ecclesiæ Com-  
 postellanæ Decanus, ac primo civita-  
 tis-Roderici, demum Pampilonensis,  
 & Giennensis Episcopus renunciatus  
 est: porro hujus Viri meritum Caro-  
 lus V.

lus V. tanti habebat, ut eum ad purpu- Sæcul. XVI.  
 ram evehi, summis precibus urgeret, A.C. 1560.  
 cumque Paulus III. Papa Casparum de  
 Avalos, Mendozam, & Cuevam Hispa-  
 nos Cardinalium Collegio adscripsisset,  
 omisso Paccoco, Carolus tamdiu sese  
 horum electioni vehementer opponebat,  
 donec pariter ille, pro quo intercesse-  
 rat, purpuram obtineret, quapropter  
 Pontifex eundem feria quarta die de-  
 cima sexta Decembris Anno Salvato-  
 ris nostri millesimo quingentesimo qua-  
 dragesimo quinto Cardinalitia dignitate  
 honorare adigebatur: Postmodum Pe-  
 trus ad Tridentinam Synodum ablega-  
 tus tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, &  
 septimæ Sessioni intererat, quin sese  
 tanquam Cardinalem gereret, quod  
 necdum, licet a Papa galorum jam ac-  
 cepisset, de Cæsaris consensu cer-  
 tior factus esset, a quo tamen Neapo-  
 litani Regni administrationi, absente  
 Petro Toletano, præfectus populum,  
 ac præcipue Nobiles, qui Inquisitionis  
 tribunal erigi timebant, a suo metu li-  
 berabat, simulque mira dexteritate diffi-  
 dia Paulum IV. inter, & Philippum II.  
 Hispaniæ Regem ferventia compone-  
 bat, cum tanta nominis sui fama, ut  
 de eo ad D. Petri Cathedram post hujus  
 Papæ obitum evehendo ageretur. Inter-  
 fuit quoque sacris comitiis, in quibus  
 Julius

Sæcul. XVI. Julius III. & Pius IV. eligebantur: tan-  
A.C. 1560. dem vero hoc anno millesimo quingen-  
 tesimo sexagesimo die quarta Februarii  
 sexagenarius obiit, cujus corpus ad Ec-  
 clesiam S. Mariæ de Ara Cæli deposti-  
 tum tandem ad oppidum de la Peubla  
 montis Albani in Hispania translatum  
 apud Religiosas Ordinis S. Claræ vir-  
 gines, pro quibus Joannes Paccetus  
 ejus frater Monasterium condiderat,  
 terræ mandatum fuit.

## §. XXXIX.

*Diomedis Caraffæ Cardinalis fata.*

*Aubery &  
 Ciacon. l. c.  
 p 848.  
 Castald. in  
 Paul. IV.*

Tertius erat Diomedes Caraffa patria  
 Neapolitanus, ac Joannis Francisci  
 Arianensis Ducis filius, & sanguine  
 junctus Paulo IV. Pontifici, a quo Aria-  
 nensis Episcopus creatus Anno Incar-  
 nationis Dominicæ millesimo quingen-  
 tesimo quinquagesimo quinto Mense De-  
 cembri Cardinalis tit. S. S. Sylvestri,  
 & Martini in Montibus renuntiatus est.  
 Tanta is inclarescebat animi modera-  
 tione, ut nullis omnino turbidis nego-  
 tiis sese ingerere vellet, unde ab om-  
 nibus in tanto honore, ac veneratione  
 erat, ut Romani, cum post Pauli IV.  
 obitum Caraffensium bona diriperent,  
 imo nequidem illorum sepulcris parcerent,  
 monumentum tamen, quod Dio-  
 medes ipsemet sibi in Ecclesia S. Mar-  
 tini

tini in Montibus erigi curaverat, omnino venerati sint. Obiit Romæ die duodecima Augusti Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo, ætatis vero suæ sexagesimo nono, sepultusque est in præfato tumulo apud S. Martinum. Is vix Arianensis Episcopatus possessionem acceperat, cum illico anteriorem suæ Ecclesiæ Cathedralis partem restaurari curaret, eamque sacro ritu Divino cultui dedicaret: pariter etiam Episcopale Palatium, necnon Abbatialem Ecclesiam ad S. Agnetem ruinæ proximam pristino suo decori restituit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. XL.

*Cardinalis Bertrandus mortuus.*

Quarto loco venit Joannes Bertrandus natione Gallus, Tolosæ natus, ubi ejus Pater nomine Bernardus Bertrandus de Villeles Tolosani Senatus Procuratorem agebat, postea vero Joannes ejus filius primus ejusdem Senatus Præses in hac dignitate tantam sibi laudem comparabat, ut meritorum fama ad Annam Montmorentium Connestabilem delata ad istius preces Parisios a Francisco I. vocaretur, ibidem primi pariter Præsidis honore auctus, ac demum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Regii sigilli custos nominatus.

Ciaccon.  
p. 857.  
Aubery l. c.  
Frixon in  
Gall. purp.

Hist. Eccles. Tom. XLIII. Qq mina-

Sæcul. XVIA C 1560

minatus per plures annos hac dignitate fulgebat, postea tamen uxore sua orbatus Sacræ militiæ nomen dabat, ubi primo Convennarum Episcopus, ac demum ad Henrici II. Regis preces Senonensis Archiepiscopus Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo nominatus est, ab eodem Rege in Germaniam ablegatus. Tandem cum Henricus, & Guisus Dux, qui copiis ab eodem Henrico II. Pontifici in opem contra Philippum II. Hispaniæ Regem submissis præerat, id a Paulo peterent, Bertrandus Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Mense Martio ab eo Cardinalium Collegio adscriptus est, nonnisi tamen exeunte Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono in Italiam venit, ubi Romæ magni habitus conclavi, in quo Pius IV. fuerat electus, interfuit, atque accepto titulo S. Priscæ unus ex septem illis Cardinalibus, quibus Caraffarum causa erat demandata, a Pontifice seligebatur. Postea a Rege tanquam legatus Roma ad Venetam Rempublicam specialiter decernebatur, cumque suum in Gallias reditum pararet, Venetiis die quarta Decembris anno a partu Virgineo quingentesimo sexagesimo supra millesimum morte interceptus obiit, ibi-

ibidem in Ecclesia S. Stephani apud Sæcul XVI.  
A.C. 1560.  
 Fratres Eremitas D. Augustini sepultus.  
 Habuit is antea uxorem Joannam de  
 Baras, Mirabellensem & Villemuranam  
 Nobilem, ex qua tres proles, unam  
 masculam, & duas filias susceperat.

§. XLI.

*Roberti Cenalis Abrincensis Episcopi  
 obitus.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc *Possevinus  
in appar.  
Sacro Bar-  
tel de Episc.  
Rejens. San-  
Marth.  
Gall. Christ.  
Dupin Bibl.  
des Aut.  
Eccl. t. 16.  
p. 30.*  
 eodem anno rebus humanis vale-  
 dixere, primus recensetur Robertus Ce-  
 nalis origine Parisiensis, qui in ejus-  
 dem Urbis Facultate Theologica Anno  
 Christi millesimo quingentesimo decimo  
 tertio Doctor creatus, postmodum Anno  
 millesimo quingentesimo vigesimo tertio  
 a Francisco I. ad Vincianum Episco-  
 patum nominatus est, eum tamen se-  
 ptimo post anno cum Rejensi Ecclesia  
 commutabat, a qua rursus promulgatis  
 decretis Synodicis ad Abrincensem, seu  
 Abriconensem sedem Anno millesimo  
 quingentesimo trigesimo secundo trans-  
 latus fuit, ubi Episcopali suo muneri  
 tanta sedulitate incumbebat, ut resi-  
 duam temporis partem variis lucubra-  
 tionibus, quibus Rempubicam litera-  
 riam locupletabat, consecraret. Scri-  
 psit præprimis latinam Franciæ Histo-  
 riam, quam duobus tomis comprehen-  
 sam

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

fam Henrico II. Regi nuncupabat: alterum vero ejusdem opus est liber dogmaticus, cui titulus: *Antidotum contra Interim Cæsareum*, seu illam formulam, quam Carolus V. Cæsar sub nomine *Interim* vulgabat. Edidit quoque alium tractatum de duplici gladio, ubi stabilito D. Petri Primatu, atque Ecclesiæ jurisdictione quæstiones, quæ leges Ecclesiasticas, & civiles concernunt, exponit, docetque, quod pro bonis temporalibus vindicandis quempiam interimere adeo non liceat, ut nequidem pro vitæ suæ defensione occidendi voluntatem habere permiffum sit. In alio quodam opusculo tria proponit axiomata Catholica, atque in eorum primo demonstrat, cum hæreticis circa Religionem colloquia non esse instituenda: in altero cœlibatum propugnat, ac in tertio legis Mosaicæ divortium a lege Evangelica fuisse rejectum affirmat. Idem quoque Auctor posteritati reliquit aliud opus latino sermone conscriptum contra Calvinum, cui titulus: *Larva Sycophantica in Calvinum*: hoc tamen opus a Facultate Theologica Parisiensi Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto censura fuit notatum, quamvis in alia epistola ad Cardenerium primum Rothomagensis Senatûs Præsidentem scripta se julto in hæreticos

reticos zelo exarsisse demonstret, atque huic apologiæ titulum præfigat: *Opus quadripartitum de compescenda hæreticorum petulantia*. Denique ex ejusdem Scriptoris calamo profluxit alius tractatus de ponderibus, & liquidorum mensuris, quas ad æquum valorem reducere nitebatur. Decessit tandem hoc anno Parisiis, sepultusque est in Ecclesia D. Pauli, ubi sepulcralis inscriptio ejus monumento incisa hodiedum legitur. Ceterum Robertus mira in scribendo facilitate pollebat, quamvis stylo nimium prolixo usus non raro declamatorum agat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. XLII.

*Dominicus Soto mortuus.*

Alter erat Dominicus Soto Anno re-  
stauratæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto Hispali in Hispania natus, qui semetipsum non nisi hortulani filium fuisse fatetur: ætatis anno trigesimo Burgis Ordinem S. Dominici ingressus, & Parisiis studiorum curriculum emensus erat, ubi etiam liberalium artium Magister creabatur, ac Compluti Philosophiam tradebat: porro Religiosum hoc institutum professus mutato Francisci nomine, quod antea gerebat, Dominicus nominabatur; postquam vero solemnè spon-  
se

Bellarm. de  
Script. Eccl.  
Sixt. Senens.  
Bibl. l. 4.  
Poff. vin l. c.  
Dupin. p. 3.

Q q 3

se

Sæcul. XVI. sese Deo dicaverat, Burgis, Salaman-  
 A. C. 1560. ticæ, & alibi literas tradere pergebat,  
 simulque suos tractatus Philosophicos  
 divulgabat, quos inter præcipui erant  
 commentarii in Aristotelis Philosophiam.  
 Postea a Carolo V. Cæsare, cui a con-  
 fessionibus erat, ad Segoviensem Episco-  
 patum destinabatur, hanc tamen digni-  
 tatem constanter respuebat, dum autem  
 per plures annos tædiofo Cæsarei Con-  
 fessarii munere functus erat, tandem  
 ex aula discedendi facultatem impetra-  
 bat, ut novas hæreses totis viribus de-  
 bellandi spatium nancisceretur. Hanc  
 ob rem suam operam jungebat Martino  
 Olavo, qui paulo post Societatem Jesu  
 a D. Ignatio fundatam ingrediebatur;  
 ambo autem hi Viri eruditione prorsus  
 conspicui Dilinganæ Universitatis recens  
 erectæ curam habere, ab Ottone Truch-  
 sesio Augustano Episcopo jubebantur:  
 evolutis autem aliquibus annis Domini-  
 cus in Hispaniam redux a Philippo in  
 Angliam decernebatur, ut ibidem in  
 Oxoniensi Universitate Divi Thomæ do-  
 ctrinam traderet. Demum anno Christi  
 millesimo quingentesimo quadagesimo  
 quinto non sine ingenti nominis sui fama  
 Tridentinæ Synodo interfuit, ibique  
 cum magno omnium applausu publice  
 perorabat, eum que comitabatur Bartho-  
 lomæus Caranza ejusdem Instituti alum-  
 nus,

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

nus, qui postmodum Toletanus Archi-  
episcopus est renuntiatus. Ceterum  
Dominicus, dum Tridento discesserat,  
dissidia inter Bartolomæum de Las-  
Casam, & Sepulvedam ob Indiarum ex-  
pugnationem, & Indorum libertatem  
exorta componere a Carolo V. jussus est,  
qua lite feliciter decisa Salmanticam  
reversus ibidem sexaginta sex annos na-  
tus extremum clausit diem, juxta Scri-  
ptorum nonnullos die decima quinta  
Novembris, quamvis alii obitus sui  
diem ad sextam Decembris Anni mil-  
lissimi quingentesimi sexagesimi rejiciant.

§. XLIII.

*Hujus Scriptoris opera.*

Inter ingenii sui monumenta, quæ  
Soto posteris reliquit, recensetur:  
I. Tractatus de natura, & gratia in tres  
libros divisus, ac Patribus Tridenti con-  
gregatis nuncupatus, quem Anno post  
Christum natum millesimo quingentesi-  
mo quadragesimo septimo ipse publici  
juris fecit, atque in eo circa peccatum  
Originale, liberum arbitrium, & justifi-  
cationem Concilii Tridentini doctrinam  
propugnat, ac insuper ad peccatorum  
remissionem in Sacramento poenitentiae  
actum charitatis requirit, Catharini  
vero sententiam circa justificationis  
certitudinem impugnat. II. Edidit tra-

Qq 4

ctatum

Sæcul. XVI. A.C. 1560 statum de iustitia, & jure, in quo  
 Episcoporum residentiam esse juris di-  
 vini, ac naturalis demonstrat, atque  
 impugnat doctrinam ejusdem Catha-  
 rini, qui eam duntaxat ex jure Eccle-  
 siastico descendere contendebat: mi-  
 tiorem tamen sententiam elegisse vide-  
 tur Dominicus circa beneficiorum plu-  
 ralitatem, quam omnino vetitam esse  
 negat, saltem si his beneficiis non sit  
 annexa animarum cura. III. Præter  
 hæc opera exstant adhuc ejusdem hu-  
 jus Auctoris commentarii in epistolam  
 D. Pauli ad Romanos, in quibus Caje-  
 tani explicationes refellit. IV. Alii  
 Commentarii in quartum librum Ma-  
 gistri Sententiarum. V. Tractatus de  
 causa pauperum. VI. Aliud opus de  
 evitandis juramentorum abusibus. VII.  
 Apologia contra Ambrosium Cathari-  
 num. VIII. Commentarii in Porphy-  
 rium, & Aristotelis organum. Cete-  
 rum quamvis Soto in Theologicis disci-  
 plinis profunda inclaresceret eruditione,  
 minus tamen exactam in Patrum, ac  
 Historiæ Ecclesiasticæ operibus cogni-  
 tionem hausisse videtur: nihilominus  
 Protestantes de eo honorificam semper  
 mentionem fecerunt, Patresque Tri-  
 dentini eidem permiserunt, ut illis ute-  
 retur insignibus, in quibus repræsen-  
 taretur fidei Symbolum, seu duæ ma-  
 nus,

nus, ex quibus prodibat flamma cum hac inscriptione ex hisce D. Pauli verbis: *Fides, quæ operatur per charitatem.*

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

§ XLIV..

*Melchioris Cani extrema.*

**E**x Scriptoribus Ecclesiasticis hoc anno defunctis tertius est Melchior Cano, seu Canus natione Hispanus in oppido Tarraconensi Toletanæ Diœcesis natus, itidem Ordinis S. Dominici Alumnus. Is Philosophiæ, ac Theologiæ studio addictissimus tam præclaros in utraque disciplina progressus fecerat, ut Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, absente Francisco Victoria ejus Magistro, Theologiam publicè Salmanticæ tradere juberetur, ubi laboris socium habebat Bartholomæum Caranzam, qui tamen diversas ab eo opiniones tenebat, quapropter inter illos quædam æmulationis species, indeque veluti duplex factio in Salmanticensi Schola est exorta: quinimo autumant nonnulli, quod Canus ad infauſtam æmuli sui sortem non nihil contulerit, quamvis hic non modo meritorum gløria, sed & rara animi moderatione, morumque comitate, quæ tamen in Cano desiderabatur, oppido clarus esset: e contrario autem Canus

Sixt. Sen.  
l. c. Nicol.  
Ant. Bibl.  
Script. Hisp.  
Dupin. p. 335

Qq 5

admo-

Sæcul. XVI. admodum vehemens, acer, & amb-  
A.C. 1560. tiosus audiebat. Missus is est sub Pau-  
 lo III. ad Tridentinam Synodum, inde  
 vero redux postea ab eodem Pontifice  
 Anno Christi millesimo quingentesimo  
 quinquagesimo secundo in Insulis Ca-  
 nariis Episcopatu auctus Francisco de  
 la Cerda ejusdem Ordinis Religioso suc-  
 cessit. Fertur, quod Canus benevolen-  
 tiam Philippi II. non sine injuria Ca-  
 roli, qui istius erat Filius, sibi concilia-  
 rit, utque hujus Monarchæ ambitionem  
 foveret, eidem auctor exstiterit, quod  
 salva religione quemcunque Principem  
 bello aggredi posset, quoties de tuendis  
 juribus suis agitur: quæ tamen do-  
 ctrina Romanæ Curix hæud arridebat,  
 omnino autem a Salmanticensi Univer-  
 sitate rejiciebatur. Denique Canus,  
 cum aulam dimittere nollet, hæud diu  
 suam retinebat Episcopatum, unde eo  
 relicto Provinciæ Castellanæ Præposi-  
 tus, seu Provincialis creatus hoc anno  
 Domini millesimo quingentesimo sexa-  
 gesimo Toleti mortalitatem exiit.

Scriptis is libros duodecim de locis  
 Theologicis, quod tamen opus nonnisi  
 post ejus obitum publicam lucem aspe-  
 xit, & merito in hoc scribendi genere  
 tanquam opus omnibus numeris ab-  
 solutum celebratur, nam abundat regu-  
 lis prorsus eximiis, quamvis ipsemet hæ-  
 sce

sce regulas nonnunquam nec exacte, Sæcul. XVI.  
 nec vere ad usum deduxerit, imo non A.C. 1560  
 raro longis digressionibus, ac quam-  
 plurimis quæstionibus a scopo alienis,  
 quas huic operi intrudit, Lectorum pa-  
 tientiam fatiget: denique hæc mate-  
 rias nimio artificio expendisse redargui-  
 tur, plus justo sollicitus, ut Aristotelem,  
 Ciceronem, Quintilianum, aliosque Au-  
 thores profanos, qui pro Rhetoricis, vel  
 Dialecticis elucubrationibus de ejusmo-  
 di locorum argumentis scripserunt, imi-  
 taretur: porro per hosce locos com-  
 munes intelligit fontes, ex quibus Theo-  
 logi ad stabiliendas suas opiniones, &  
 ad refellendas illis adversas sua haurire  
 possunt argumenta, horumque omnino  
 decem recenset, inter quos est I. Au-  
 thoritas sacræ Scripturæ. II. Traditio-  
 num. III. Ecclesiæ IV. Conciliorum V.  
 Romanæ Ecclesiæ, VI. Sanctorum Pa-  
 trum VII. Theologorum Scholasticorum,  
 ac Canonistarum. VIII. Rationis naturalis.  
 IX. Jurisconsultorum, & Philosophorum,  
 ac denique X. Historiæ civilis, qua-  
 tenus hæc certæ traditioni innititur, &  
 a Viris fide dignis scripta comprobatur.  
 Ad calcem hujus operis insuper adjecit  
 prælectiones circa Pœnitentiam, & Sa-  
 cramenta, ubi quidem eleganti sermo-  
 nis puritate utitur, minus tamen elo-  
 quens,

Sæcul. XVI. quens, quam in suis locis Theologicis  
A. C. 1560. esse videtur.

§. XLV.

*Matthæus Ory, & Joannes Arbo-  
 reus mortui.*

*Echard de  
 Script. FF.  
 Præd. t. 2.  
 Dupin. p. 33.  
 & 40.*

Hicce Scriptoribus haud immerito ac-  
 censerī possunt Matthæus Ory, &  
 Joannes Arboreus, quamvis de anno,  
 in quo defuncti sunt, certa non habeat-  
 tur notitia. Horum primus erat Do-  
 minicanus, Pontificis Pœnitentiarius,  
 & hæreticæ pravitatis Inquisitor in  
 Galliis, ediditque Anno Salvatoris no-  
 stri millesimo quingentesimo quadrage-  
 simo quarto tractatum contra hæreticos  
 Turnonio Cardinali nuncupatum, in  
 quo hanc proposuit quæstionem: qua-  
 re hæreses in Ecclesia dentur? hanc  
 in rem tria examinat capita, & quidem  
 primo definit, quid sit hæresis? II. Quæ-  
 nam sit caussa hæresum? III. Quæ me-  
 dia, ut Ecclesia ab hæresibus purgetur,  
 adhibenda sint? inter media autem re-  
 censet, hæreticorum instructionem, nec-  
 non separationem a communione fide-  
 lium, ac denique mortis supplicium,  
 si in hæresi sua pertinaces reperiantur.  
 Hic Scriptor in quodam Macloviensis  
 Diœcesis oppido nomine Canna natus  
 erat, decessit vero sexagesimo sexto æ-  
 tatis suæ anno. Joannes Arboreus  
 Lau-

Lauduni in Picardia natus, ac Collegii Sorbonici Doctor conscripsit opus sub titulo *Theosophia* in novendecim libros divisum, atque Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo Parisiensibus literis in uno majoris formæ volumine excusum, in quo ad varios titulos tam circa dogmata Theologica, quam sacrae Scripturae textus plures, graves, easque eruditas quæstiones revocat, nec minus edidit commentarios in Ecclesiasten, Cantica Canticorum, & Proverbia, necnon in quatuor Evangelistas, & D. Pauli epistolas: insuper elucubrabat admonitionem ad pœnitentiam, methodum confitendi, ac quædam alia sacra opuscula, in quibus unacum singulari pietate profunda eruditio juncta reperitur: Verum hujus Scriptoris opuscula hodie dum ferme incognita latent.

*Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.*

§. XLVI.

*Joannes Lasko mortuus.*

Hoc item anno hæretici duo nequitia suæ fulcra amisere, scilicet Joannem Lasko, & Philippum Melancthonem, eorumque primus erat Nobilis Polonus, qui Ecclesiasticas dignitates aucupatus Gnesnensis Ecclesiae Cathedralis Canonicus evasit: verum brevi ob ingenii sui levitatem primo Luthe-

*Spond. hæ  
ann. n. 31.  
Sanderus  
hæres. 207.  
Florim.  
Ræm. l. 4.  
c. 20. n. 2.*



Sæcul. XVI. A.C. 1560 ri sectæ, & postea Zwinglii, ac Sacramentariorum erroribus subscripserat, quinimo eorum malitiam augere intentus hisce consecrationis verbis: *Hoc est corpus meum*: duodecim novas explicationes addidit, simulque penitus rejecit Baptismum, quem tanquam idololatriæ speciem damnabat: porro hi errores ab omnibus fuere reprobati, quapropter Lasko hac de re palam questus libellum ad Poloniæ Regem conscripsit, in quo indicta causa, nec præmissa discussione opiniones suas, quin cum ipso desuper collatum fuisset, nonnisi ex sinistro rumore damnari contendebat: Attamen insuperhabita ejus apologia e patria sua exulare jussus in Angliam secessit, ubi inito connubio tantam sibi famam regnante Eduardo comparabat, ut ei exterorum hæreticorum, qui se Reformatos dicebant, Ecclesiæ cura committeretur: mortuo autem Eduardo, ac Maria sceptrum rotante, cum illa in suis ditionibus Religionem Catholicam restauraret, Lasko in Daniam fugere, ac Embdam secedere cogeatur, ubi Annæ Principis patrocinio suffultus Calvinii sectam invehebat: inde vero Francfordiam delatus ibidem ex Flandris spurix reformationis asseclis cœtum congregavit, eisq; Datherium Ministrum præfecit.

Habe-

Sæcul. XVI.  
A C 1560.

Habebat Lasko Embdæ frequentes admodum disputationes cum Menno Mennonistarum Antesignano, quem etiam tam suis scriptis, quam sermonibus tam valide impugnabat, ut illum ad novam fidei confessionem compelleret, in qua profitebatur, quod Christus Dominus sit verus Deus, & homo, verus Dei filius, ac verus Filius hominis, ac reipsa carnem, & sanguinem tuum ex Beatissimæ Virginis Mariæ utero sumperit, necnon ex ea tanquam verus homo nobis, excepto peccato, similis progenitus fuerit. Denique Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto Joannes Lasko, postquam per viginti annos ubique vagabundus erraverat, plurium Procerum, ac Poloniæ Ministrorum literis sollicitatus unacum Joanne Utenhovia in patriam suam reversus est: ubi interfuit Sandomirensi, Uladislaviensi, & Pinczoviensi Conciliabulo, & contra Stancarum, cujus a libi meminimus, strenue disputabat. Tandem postquam apud Sacramentarios celebre sibi nomen acquisierat, die decima tertia Januarii hoc anno Socini, & Unitariorum hæresi immortuus periit. Ceterum is honorabat tanquam amicos sibi in paucis caros Bernardinum Ochinum, Blandratum, Statorem, Thenaldum, aliosque hujus furfuris homines,

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

mines, qui in ejus ædibus hanc Blasphemiam divulgabant, errorem admitti ab eo, qui credit, quod tres Sanctissimæ Triadis Personæ sint æquales, cum juxta eorum doctrinam duntaxat circa hunc articulum sit tenendum, quod unus, solus detur Deus, qui est Pater, unus solus Filius Dei, & unus Spiritus Sanctus.

§. XLVII.

*Philippi Melanctonis obitus.*

*Thuan. hist.*  
*sub finem l. 26.*  
*Spond. hoc*  
*ann. n. 31.*  
*Sander.*  
*hæres. 188.*  
*Camerar. in*  
*vita Me-*  
*lanct.*

Die decima nona Aprilis hoc eodem anno Philippus Melancton, cujus jam frequens occurrebat mentio, Witembergæ sexagesimo quarto ætatis suæ anno vivis ereptus est. Is Bretæ, seu Brettini inferioris Palatinatus ad Rhenum oppido die decima sexta Februarii Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo natus erat, ac Patrem habuit Georgium Schwarzerd, qui apud Principes Palatinos armamentarii curam gerebat, Matrem vero Barbaram Reuchlin, quæ celebris Joannis Reuchlini, Capnion dicti, Soror erat. Ceterum quamvis Melancton Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo decimo octavo omnes Lutheri errores ratos habuisset, nunquam tamen ulla ætas Virum in Religionis rebus magis eo inconstan-

tem

tem tulit; quippe circa nonnullos art-  
culos Zwinglii, circa alios vero Calvini  
opinionibus adhærebat, & circa plura  
dogmata incredulus, aut circa ferme o-  
mnia summopere dubius extitit, qui-  
nimo circa vitæ suæ finem, cum in no-  
va reformatione nullam omnino servari  
moderationem cerneret, aliunde vero  
pertimesceret, ne scandalosa, quæ in spu-  
ria hac reformatione fervebant, dissidia  
augeret, ferme nihil amplius nisi verbis  
omnino vagis, quæ ad cuiusvis arbi-  
trium inflecti possent, de sectæ suæ du-  
biis proponere audebat; Sacramenta-  
rii enim ab illo multum differebant,  
Lutheri autem affectu unaomnes ubi-  
quitatem adoptabant, ac ipse etiam  
Brentius, qui tamen ex Lutheranis cum  
illo plene consentientibus ferme solus  
supererat, etiam ceteris adhærere cæ-  
perat: equidem cupiebat Melancton  
mentem suam proderet; ast quid diceret,  
non ei occurrebat, eoquod illis rebus,  
quas ipse veras censebat, ab omnibus  
resisti cerneret, unde non raro dicere  
solebat: „Veritatem plene explicare  
„non possum in illa patria, in qua mo-  
„ror; cum id non toleraret Princeps,  
„sæpe etiam subjungebat, „eloquerer ve-  
ritatem, si a Principibus non prohi-  
berer. Peucerus etiam ejusdem Ge-  
ner, cum summa ingenuitate hæc gesta

*Hist. Ecclæs. Tom. XLIII.*

Rr ex-

Sæcul. XVI.

A.C. 1560.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

ennarrans refert, quod Melanchton tanto-  
pore ubiquistis exofus fuerit, ut qua-  
dam die Chytræus hujus factionis stu-  
diosissimus Melanchtonem e medio tol-  
lendum esse asseruerit, eo quod hic eo-  
rum consiliis continuo obsisteret: Ipse-  
met quoque Melanchton in quadam ad  
Electorem Palatinum epistola, cujus  
meminit Peucerus, hæc scripta reliquit:  
„Nolo amplius disputare contra illos,  
„quorum crudelitates jam in me exper-  
„tus sum.„ Percipiamus ea, quæ pau-  
cis ante obitum suum mensibus per-  
scripserat. „Ah! inquit Peucerus, quo-  
„ties, quantisque singultibus Melanch-  
„ton mihi exposuit rationes, quæ ipsum  
„absterrebant, ne intima suarum opi-  
„nionum palam faceret?„ O miseram  
illius conditionem, cum nullibi nec pa-  
cem, nec veritatem, prout eam ipse  
comprehenderat, reperire posset? Re-  
cessit is a veteri Ecclesia, cujus tamen  
prærogativa præ ceteris erat, quod ipsa  
sola continuam ab omnibus præteritis  
sæculis successionem haberet: Ecclesia  
vero Lutherana, quam ipse unacum Lu-  
thero erexerat, solumque veritatis aly-  
lum fore censebat, jam in Ubiquistarum  
monstrum, quod ipse detestabatur, de-  
generabat: Denique Sacramentariorum  
Ecclesiæ, quas ceteris puriores post Lu-  
theranas existimabat, aliis plenæ erant  
errori-

erroribus, quos ipse omnino tolerare non poterat, ac in omnibus fidei suæ confessionibus damnabat: equidem in Wittembergensi Ecclesia magni habitus videbatur: verum cæco complacendi studio, cui tanquam mancipium sæva servitute addictus erat, prohibebatur, ne libere, quicquid in mente sua fovebat, ediceret, quibus animi anxietatibus confectus miseram suam vitam absolvit.

Ceterum varia opuscula tam literaria, quam dogmatica reliquit, ac præ ceteris composuit apologiam contra Parisiensem Doctorum censuram, cui hunc titulum præfixit: *Adversus furiosum Parisiensem Logastrorum Decretum*. II. Concinnaverat etiam Confessionem Augustanam, ejusque solertiæ in acceptis referenda est Naucleri editio Tubingana; nam prius hujus Scriptoris opus nil nisi indigesta fuit congeries chronicorum, & fabularum, quæ unacum historiis ordine sane perturbato congestæ erant, eas tamen Melanchton sedulo expurgans, rerum gestarum selectum fecerat, cunctaque in ordinem redegerat, adeo, ut hic liber merito Melanchtonis opus dici valeat, quamvis tunc nonnisi vigesimum ætatis suæ annum expleffet. III. Reliquit etiam volumen sat amplum epistolarum, quæ ad diversos scriptæ plura gesta novam Protestan-

Sæcul. XVI.

A.C. 1560.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560. stantium sectam concernentia comple-  
ctuntur: præterea jam alibi retulimus  
duodecim illos articulos, quos ad Fran-  
ciscum I. Franciæ Regem transmiserat.  
Fertur, quod is, cum a Matre sua, quæ  
anno millesimo quingentesimo vigesi-  
mo nono mortua est, quadam die inge-  
nue fateri fuerit rogatus, quænam reli-  
gio ceteris melior esset, ipse responde-  
rit, novam esse magis acceptam, anti-  
quam vero magis securam. Porro ex  
sua uxore Catharina Crappa duos filios,  
totidemque filias suscepit, earumque  
prima nomine Anna nupsit Georgio  
Sabino Brandenburgico Poetæ apud  
Germanos celeberrimo, quem etiam  
Bembus, & Contareus magni ha-  
bebant.

## §. XLVIII.

*Centuriatores Magdeburgici in lucem  
editi.*

*Caspar.  
Sagitt. in-  
troduss. in  
Hist. Becl.  
p. 279.*

Denique hoc anno ex tredecim Mag-  
deburgicis centuriis quarta edeba-  
tur; tres enim primæ jam Anno priori  
millesimo quingentesimo quinquagesimo  
nono, ceteræ vero sequentibus annis  
usque ad annum Domini millesimum  
quingentesimum septuagesimum quar-  
tum, quo decima tertia prodiit, publi-  
cam lucem aspexerunt. Hoc opus est  
collectio Historiæ Ecclesiasticæ, quam  
normul.

nonnulli profani Magdeburgenses Mini-  
stri concinnarunt.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

§. XLIX.

*Matthias Flacus Illyricus hujus o-  
peris Auditor, ejusque vitæ  
Historia.*

Hos inter præcipuus erat Matthias Fla-  
cus Illyricus ex Confessionis Au-  
gustanæ Theologis doctissimus, qui An-  
no Domini millesimo quingentesimo vi-  
gesimo die tertia Martii Albonæ in Hi-  
stria natus humaniores literas Magi-  
stro Egnatio Venetiis didicit, anno au-  
tem ætatis suæ decimo septimo Theolo-  
gici studii amore incitatus quemdam  
Religiosorum Ordinem ingredi statuit,  
suumque animi propositum Fratrum Mi-  
norum Provinciali, qui Matri suæ san-  
guine junctus erat, manifestabat: attamen  
ab eodem Religioso, qui de hæresi  
suspectus erat, rogabatur, ut potius in  
Germaniam tenderet, quam sese inter  
Monasterii septa includeret: Itaque Fla-  
cus hoc consilium secutus Anno salu-  
tis reparatæ millesimo quingentesimo  
trigesimo nono Basileam venit, ibique  
post aliquot mensium moram Tubin-  
gam contendit, inde vero Anno post  
Christum natum millesimo quingentesi-  
mo quadragesimo primo Wittember-

R r 3

gam

Sæc. XVI.  
A C. 1560.

gam delatus ibidem Lutheri, & Melanchtonis magisterio sese tradidit, juvenesque Græco, & hebraico idioma te imbuendo victum sibi comparavit, ibique a Melanchtone liberaliter fuit habitus: demum inito connubio circa annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum quartum publico quodam munere in Academia auctus est: cum vero Scholarum exercitationes ob bellicos tumultus in Saxonia interciperentur, Flacus inde Brunsvicum petiit, ibidem suis prælectionibus magnum nomen adeptus. Demum Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo septimo Wittembergam redux pristino vacabat muneri, ac paulo post vehementer sese opponebat Cæsareo *Interim*, omnibusque moderationibus, quas Melanchton suggererat: ut autem cum ampliori libertate, ruptisque omnibus modestiæ habenis adversus Religionem Catholicam debachari posset, Magdeburgum, quæ urbs tum a Cæsare proscripta erat, secessit, ibidemque centurias, quarum nunc meminimus, consarcinavit, laborisque socios sibi adjunxit Andream Corvinum, Thomam Holshuterum, Pancratium Walbeckium, Nicolaum Amsdorfium, Nicolaum Gallum, Martinum Copum, Ebelingum Alemannum, Ambrosium Hidfeldum,

Hidfelum, Davidem Cicelerum, Casparum Leunculum, Guilielmum Rudensem, Nicolaum Beumillerum, Bernardum Nigrum, Petrum Schraderum, & Conradum Agrium præter Joannem Wigandum, Matthæum Judicem, & Basilium Fabrum, qui egregiam quoque navabant operam. Insuper Joannes Baptista Heinzelius, & Caspar Nidpruckus Cæsaris Consilarii plurimum favebant Marco Wagnero, qui omnes Germaniæ, aliarumque Regionum Bibliothecas evolvere, ac monumenta colligere jubebatur. Hic idem Centuriatoribus plurima præstitit obsequia; sedulo enim literaria Germaniæ, Daniae, Edemburgi in Scotia, & alia scrinia perlustrabat; singulari enim prærogativa ad ejusmodi labores requisita dotatus erat, unde die trigesima Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Protestantes eidem testimonium oppido gloriosum reddiderunt, ejusque integritatem, solertiam, ac singulare studium commendarunt, inter cetera autem retulerunt, quod confectis cum Illyrico variis itineribus monumenta collegerit, editoque suæ peritiæ specimine haud abs re fore judicatum fuerit, ut solus hæc itinera prosequeretur, ac propterea eidem hæc cura esset demandata, procuratis hanc

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

*Melchior  
Adam p. 273  
Et 274.*

Sæcul. XVI. in rem literis commendatitiis, quibus  
A. C. 1560. Viri docti æque, ac probi rogabantur,  
 ut eidem Codices manu exarratos, ac  
 monumenta ipsi proficua communicare  
 velint. Huic testimonio ipsemet Illy-  
 ricus suum chirographum apposuit.

Ceterum tredecim hæ centuriæ to-  
 tidem etiam voluminibus continentur,  
 atque usque ad sæculum decimum ter-  
 tium excurrunt; quælibet vero centu-  
 ria cujuslibet sæculi res notatu dignio-  
 res complectitur, ac in sexdecim capita  
 dividitur, quorum primum summana  
 eorum, quæ referenda erant, exhibet:  
 alterum vero agit de loco, atque Eccle-  
 siæ progressu. Tertium de vexationi-  
 bus, aut de Ecclesiæ pace: Quartum  
 de doctrina. Quintum de hæresibus.  
 Sextum de cæremoniis, ac ritibus. Se-  
 ptimum de disciplina, & regimine. Oc-  
 tavum de schismate. Nonum de Sy-  
 nodis. Decimum de vitiis præcipuo-  
 rum Episcoporum. Undecimum de  
 Hæreticis. Duodecimum de Martyri-  
 bus. Decimum tertium de Miraculis.  
 Decimum quartum de Judæis. Deci-  
 mum quintum de Religionibus ab Ec-  
 clesia separatis. Decimum sextum de  
 motibus, ac Regnorum mutationibus.  
 De cetero observandum venit, quod cen-  
 turia decima tertia, cum Basileæ se-  
 cundo prælo ederetur, aucta fuerit, ac  
 primæ

primæ quatuor præter quamdam quin- Sæcul. XVI.  
 tæ centuriæ partem Magdeburgi, quin- A.C. 1560.  
 ta Genevæ, sexta in exilii loco, in quem  
 Illyricus, Wigandus, & Judex missi fue-  
 rant, septima in Megalopolensi ditio-  
 ne, sequentes denique in Wismariensi  
 ejusdem Ducatus urbe fuerint compo-  
 sitæ. Celebrior ceteris habetur editio  
 Basileensis tribus majoris formæ volu-  
 minibus cura Ludovici Lucii Anno mil-  
 lesimo sexcentesimo vigesimo quarto  
 absoluta: porro cum horum Centuria-  
 torum scopus unice eo collimet, ut Ec-  
 clesiam Romanam calumniis, ac men-  
 daciis proscindant, suam vero Refor-  
 mationem stabiliant, hinc doctissimus  
 Cardinalis Baronius suos Annales Ec-  
 clesiasticos conscribere aggressus est,  
 eosque hisce centuriis opposuit.

§. L.

*Illyrici liber, cui titulus Catalogus  
 testium Veritatis.*

**I**dem quoque Illyricus Anno millesimo  
 quingentesimo quinquagesimo sexto  
 Basileensibus literis excudi curavit aliud  
 opus, quod postea Anno Christi mil-  
 lesimo quingentesimo sexagesimo secun-  
 do Argentinæ iterato prælo fuit sub-  
 jectum, huncque titulum præferebat:  
*Catalogus testium veritatis.* Verum sub  
 eodem titulo postmodum Anno millesi-

Rr 5 me

**Sæcul. XVI** mo quingentesimo sexagesimo quinto  
**A.C. 1560.** Guilielmus Eisengrenius Scriptor Ca-  
 tholicus natione Germanus Dilingæ a-  
 liud opus imprimi fecit, porro utrumque  
 continet Catalogum Scriptorum Ec-  
 clesiasticorum, qui sui ævi hæreses, ac  
 præcipue nostræ ætatis sectas impugna-  
 bant, ac refellebant. Ceterum novissi-  
 marum hæresum nomine Eisengrenius  
 intelligit Protestantes, seu omnes illas  
 societates seditiosas, quæ turpi schisma-  
 te a Sedis Apostolicæ unitate recesserunt:  
 ex adverso Illyricus, qui prior  
 scripserat, eique Eisengrenius suum o-  
 pus opposuerat, sui ævi hæreticos ap-  
 pellat Catholicos, qui haud violata fide  
 Christo Domino in sinu Romanæ Eccle-  
 siæ sub auctoritate Pontificis uniti per-  
 stiterunt. Ast Illyricus in suo opere ubi-  
 que specimina edidit cæcæ suæ im-  
 pudentiæ, qua incitatus quamplurima  
 effutiit, haud discutiens, an ea, quæ di-  
 cit, suo proposito congruant, vel eidem  
 disconvenient.

§. LI.

*Antiqua Missa ab Illyrico typis  
 edita.*

*Coloniæ  
 Bibl. choif.  
 p. 12.*

**S**ub idem tempus Illyricus ex quibus-  
 dam Bibliothecis, quas lustrare ipsi  
 datum erat, quamdam deprompserat  
 veteris Missæ formam, cui titulus erat  
 sequens:

sequens : *Missæ latina, quæ olim ante* **Sæcul. XVI.**  
*Romanam circa septingentesimum Domini* **A.C. 1560.**  
*annum in usu fuit, bona fide ex vetusto,*  
*authenticoque codice* descripta a Matthia  
 Flacco Illyrico: cum ergo hoc scriptum  
 velut pretiosum monumentum venera-  
 retur, atque ex eo falsam novæ suæ  
 sectæ auctoritatem plurimum stabiliri  
 crederet, hinc illud Anno Salvatoris  
 nostri millesimo quingentesimo quinqu-  
 gesimo septimo Argentinæ prælo sub-  
 jici jussit, moxque Lutheri Sectatores  
 hanc formulam veluti opus suæ hæresi  
 admodum consonum respiciebant, quin  
 imo Catholici, cum ejusmodi scriptum  
 discutere parum solliciti essent, illius  
 tanquam libelli summe perniciosi lectio-  
 nem prohibebant: verum progressu  
 temporis Lutheranorum nonnulli rem-  
 penitius examinantes quantocius de-  
 prehendebant, quod hoc opus Catho-  
 licorum doctrinæ apprime esset conso-  
 num, quapropter illud suppressere nite-  
 bantur: Catholici vero exinde ad ma-  
 jorem circumspersionem excitati, ne  
 tam excellens monumentum ob nupe-  
 ram suppressionem vix cognitum omnino  
 deperiret, illud rursus typis edi cura-  
 runt, illiusque testimonio non sine glo-  
 riosissima victoria hostes suos debel-  
 larunt.

Sæcul. XVI.

§. LII.

A.C. 1560.

Variae censuræ Parisiensis Facultatis  
Theologicæ.*Argentre  
coll. Jud. de  
nov. err. t. 1.  
app. p. 21. &  
1. 2. p. 290.*

Interea Facultas Theologica Parisiensis immoto studio sanam Doctrinam tueri, seque novis erroribus indies in Francia magis, magisque invalescentibus opponere nitebatur; quapropter Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo die decima sexta Januarii conventum Sorbonæ habuit, ubi Decanus die decima quarta ejusdem Mensis Regii Senatus exhibuit literas, quibus injunctum, ut libri Petri de Lastre tum captivi ad Facultatem mitterentur, ac prius recogniti discuterentur. Hoc Senatus mandato publice recitato producebantur præfati libri, quorum unus hunc præferebat titulum: *Gemma Gemmarum* &c. alter vero erat inscriptus: *Instructio, ac doctrina probæ Confessionis*. Afferebantur postea duo alii prioribus parum absimiles, quorum titulus: *A. B. C., seu instructio pro Christianis* unacum tredecim aliis, quibus hæc inscriptio: *summæ librorum veteris, & novi Testamenti*: Itaque Facultas quosdam, qui hosce libros examinarent, deputabat, atque ad eorum sententiam unanimi suffragio decisum, quod præfati libri, cum erroribus, & hæresibus scate-

scaterent, omnino suppressendi, atque ad librorum prohibitorum indicem sint rejiciendi. Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Die vigesima quinta ejusdem Mensis Januarii Facultas rursus congregata quasdam literas a Galliarum Rege ad Parisiensem Episcopum datas prælegi jussit; in illis enim Rex Theologos proximo Jejunii verni tempore Parisiis ad populum dicturos monebat, ut prædicent Evangelium Dei pure, & sincere, abstineantque ab investivis, & seditiosis Concionibus; insuper juxta prædictarum literarum tenorem Decanus hortabatur omnes Doctores tum præfentes, ut a verbis convitiosis, seditiosis, & contentiosis, quibus populus magis ad impietatem, quam ad pietatem provocaretur, caverent: ex adverso autem darent operam, ut suis prædicationibus populum continerent in vera, & catholica Religione, fide Christiana, Majorum traditione, & Superiorum obedientia, præcipue vero gregem suum inflammarent ad præceptorum divinorum observantiam, traditionum Ecclesiasticarum custodiam, ac Præpositorum reverentiam.

§. LIII.

*Petri Seichespei causa.*

Cura

Sæcul. XVI. A.C. 1560. Cum Petrus Seichespejus ex Ordine Fratrum Prædicatorum Theologiæ

*Argent. l.c.*

*t. 2. p. 283.*

*Vide supr.*

*L. CLIV.*

*§. LIX.*

Baccalaureus a Facultatis Theologiæ consortio per biennium exclusus fuisset, eo quod propositionem, quam circa infidelium actiones effutierat, retractare nollet, sed ad Regium Senatum appellaret, hinc Aulæ decreto sancitum, ut Orator in prima disputatione Theologica in Dominicanorum conventu Parisiis habenda declararet, quod propositiones, quas nuper enuntiaverat, & propugnauerat, & de quibus nunc sermo est, non nisi problematicæ, ac disputandi gratia exposuerit, ac proin nihil contra Facultatis sententiam defendere, vel intelligere velit; quo facto eundem præter morem ad primam Theologiæ lauream esse admittendum decernebatur. Lata est hæc sententia die vigesima Maji: porro die decima sexta Julii Decanus, & Facultas Theologica contra eundem fratrem Petrum Seichespejum Curiae porrexit libellum supplicem, quapropter edictum die vigesima septima Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono fuit promulgatum, vi cuius Universitatis Cancellario, Decano, & Facultati injunctum, ut juxta præces Aulæ factas præfatum Seichespejum promoverent, ne hic rursus eandem Curiam adeundi occasio-

occasionem haberet, simul vero eidem præceptum, ut Cancellario, Decano, & Facultati morem gerat, indicta carceris pœna. Aliud etiam prodiit edictum hoc anno die vigesima Maji, vi cujus, ut idem Seichespejus præter ordinem Theologiæ Licentiatus crearetur, eadem Curia fanciebat, attentisque omnibus præcipiebat, ut juxta præfata edicta Seichespejus hunc gradum recipiat, nisi jam ad eum sit promotus, simulque accepta epomide in Doctorem solemniter inauguraretur, præcedentibus tamen omnibus iis, qui nuper Theologica laurea fuerant insigniti, nec alio modo recipiatur Seichespejus, cui etiam sit interdictum, ne ultra Aulam molestat, sed præfati decreto sub carceris pœna obediat. Hac itaque ratione hoc negotium fuit decisum.

## §. LIV.

*Initium Historiæ Michaelis Bajæ.*

Inter celebriores Facultatis censuras merito recensenda venit illa, quæ hoc anno die vigesima septima Junii adversus octodecim propositiones ex libris cujusdam in Universitate Lovaniensi Doctoris operibus suppresso illius nomine fuit pronuntiata: porro is erat Michael Bajus, seu Bay Melini Hanoniæ oppido

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

*Bajana sive  
Michael Bajæ  
operum 2.  
part. p. 191.  
Argent. ap-  
pend. p. 21.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

oppido in Atheniensi ditione Anno Christi millesimo quingentesimo decimo tertio natus, qui Lovanii, ubi studiis vacabat, sua morum integritate, prudentia, ac literarum progressu tam celebrem se reddebat, ut emenso studiorum curriculo in Standonico, quod erat Fundatoris nomen, Collegio jam Anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo Rector crearetur. Hoc munere auctus Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto publice Philosophiam prælegere cæpit, atque hoc officio functus est, usque ad annum salutis nostræ millesimum quingentesimum quinquagesimum, quo Doctoris gradu insignitus fuit: Anno autem sequenti regii Professoris Cathedram adeptus, sacras literas publice tradidit, vices supplens Joannis Leonardi Hasselii, qui unacum Ruartio Tappero, & Jodoco Ravensteinio Lovaniensibus Doctoribus a Carolo V. Cæsare ad Concilium Tridentum decretis eo profectus erat. His absentibus Bajus, & Joannes Hasselius a methodo Scholastica in suis prælectionibus deslectentes, sententias, ac Patrum, præcipue vero Sancti Augustini de gratia opera interpretabantur: ast propositiones, quæ pluribus nullatenus tolerandæ videbantur, enuntiabant: postquam vero Concilium

Triden-

Tridentinum die vigesima octava Aprilis Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo ob imminentes belli tumultus fuisset interruptum, Tapperus & Ravesteinius Lovanium reversi sunt: attamen vix advenerant, cum non sine animi sui mærore ea, quæ interim gesta sunt, percipere cogerentur, imo referunt nonnulli, quod Ruartius Tapperus, cujus Magisterio olim Bajus in Theologia utebatur, ab ejus tamen sententiis recedebat, quondam vehementiori ira commotus exclamaverit, *Quis diabolus nobis absentibus hanc doctrinam in nostras Scholas invexit?* Exinde mox crebræ oriebantur altercationes inter Belgas Theologos, & Ordinis S. Francisci Religiosos, qui Fratres Minores vocantur; nam hi in istis Provinciis eo tempore celebriores Bajum impugnabant, atque præ primis duo ex illis, quorum primus Petrus du Chesne Nivellensis conventus, alter vero Athenis Monasterii præpositus Ægidius de Quercato vocabatur: porro hi octodecim exponebant propositiones, quas ex præfati Theologi libris circa liberum arbitrium, gratiam, & pias actiones excerpserant, easque ad Parisiensem Facultatem Theologicam transmittentes impense rogabant, ut debita censura notarentur: Itaque Facultas ad

*Hist. Eccles. Tom. XLIII. Ss eorum*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

Sæcul. XVI. eorum preces die vigesima septima Ju-  
A.C. 1560. nii in Collegio Sorbonico congregata  
 hæc octodecim propositiones suppresso Auctoris nomine proscripsit, earum-  
 que quindecim tanquam hæreticas, ce-  
 teras vero tres ut falsas damnavit.

## §. LV.

*Censura octodecim propositionum ex  
 Baji scriptis decerptarum.*

*Oper. Baji* Propositio I. Liberum hominis arbi-  
*2. part. p. 3.* trium non habet potestatem ad op-  
*Dupin. Bibl.* posita, nec illi convenit ea potestas ex  
*des Aut. l. 16* ipsius naturali, & intrinseca ratione.  
*p. 139.*  
*Defens. cens.* *Censura.* Prima pars hujus propositionis  
*S. Facult.* est hæretica: secunda est falsa, & mo-  
*Parif. late* rali philosophiæ adversa.  
*ad ann. 1569.*  
*Auct. Ant.* II. Libertas, & necessitas eidem con-  
*Rich. Theol.* veniunt respectu ejusdem, & sola vio-  
*in Bibl. Sorb.* lencia repugnat libertati naturali. Cen-  
*v. rad. post.* *sura.* Hujus propositionis prima pars in-  
*n. 6.* cludit contradictionem, & est hæretica:  
 secunda est falsa.

III. Liberum arbitrium ex sua ra-  
 tione intrinseca non habet, ut ex se, de  
 se, & per se efficiat actum liberum. Cen-  
*sura.* Hæc propositio est falsa, erronea,  
 & perniciofa.

IV. Liberum arbitrium ex se non po-  
 test nisi peccare, & omne opus liberi  
 arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale,  
 aut

aut veniale. *Censura.* Hæc propositio utraque sui parte est hæretica.

Sæcul. XVI,  
A. C. 1560.

V. Homo faciendo, quod in se est, peccat, & non potest non peccare, faciendo, quod in se est. *Censura.* Tota hæc propositio est hæretica.

VI. Possesse peccare non est de ratione liberi arbitrii hominis, nec hujusmodi peccandi facultas homini a Deo data est. *Censura.* Hujus propositionis prima pars est falsa, & secunda hæretica.

VII. Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia Dei vitare peccatum: unde fit, ut omne opus hominis pure infidelis sit peccatum. *Censura.* Hujus propositionis secunda pars est falsa, & male ex priori infertur.

VIII. Liberum arbitrium libere vult, quidquid sponte, seu voluntate vult: ita ut, quod libere vult, idem necessario velit. *Censura.* Hujus propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est hæretica.

IX. Hæreticus, & Schismaticus, & homo non pure infidelis, meretur quandoque de condigno vitam æternam. *Censura.* Hæc propositio est plane hæretica.

X. Homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad æternam mortem, *Petav. dogm. Theol. t. 2. p. 358.*

S s 2

habet

Sæcul. XVI. A.C. 1560. habet in se charitatem. *Censura.* Hæc propositio est hæretica.

XI. Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento Baptismi, vel penitentiae, non dimittitur peccatum extra casum martyrii, aut necessitatis. *Censura.* Hæc propositio est hæretica.

XII. Peccator si faciat, quod mandatur per contritionem, & confessionem factam sacerdoti, non remittitur illi peccatum, nisi Sacerdos absolvat, etiam si per malitiam, & absque ratione Sacerdos ille deneget absolutionem. *Censura.* Hæc propositio est hæretica.

XIII. Non sine Pelagiano errore admitti potest ante primam justificationem in homine aliquis liberi arbitrii usus bonus, & qui se præparat ad eam, peccat, ut is, qui pessime utitur suis bonis naturalibus: nam ante eam omnia opera hominis sunt peccata damnatione digna. *Censura.* Hæc propositio pro omnibus suis partibus est hæretica.

XIV. Non datur gratia nisi reluctanti, proinde nec prima justificatio; quia justificatio est ipsa fides: fides enim est, qua ex impio quis fit justus. *Censura.* Hujus propositionis duæ partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

XV. Homo necessario peccat etiam damnabiliter in aliqua specie peccati, &

& actus, in quem necessario fertur, est illi peccatum: quare ut libere feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum. *Censura.* Hæc propositio est hæretica in omnibus partibus.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

XVI. Nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum, quod contraxerat ex Adam, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, sunt ultiones peccati originalis, vel actualis; Unde & Job passus est, & omnes Martyres propter sua peccata. *Censura.* Hæc propositio pro omnibus suis partibus est hæretica, & Beatæ Mariæ, Sanctisque omnibus injuriosa.

XVII. Omnia in gloriam Dei facite: & dico vobis non resistere malo: hæc sunt simpliciter ut præcepta accipienda. *Censura.* Hujus propositionis posterior pars est falsa.

XVIII. Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ: quod si aliquod remuneretur temporaliter, tamen non dignum vita æterna, illud malum est, quia nullum est opus meritorium, nisi æternæ vitæ. *Censura.* Hæc propositio tota repugnat Sacræ Scripturæ.

Sæcul. XVI.

A.C. 1560.

§. XLVI.

*Bajan. seu  
Baij oper.  
t. 2. p. 8.  
& seq.*

*Hæc censura a Bajo notis explicata.*

Hæc censura brevi in Belgio divulgabatur, eamque Baij hostes sibi transmitti rogantes, plura illius exempla spargebant: Baius vero ea perlecta notas adjecit, in quibus harum censurarum nonnullas approbabat, alias tanquam minus æquas redarguebat, animo proponens, quod illas ad quemdam Facultatis Doctorem remittere vellet: prius tamen quoddam exemplar a Facultate subscriptum obtinere satagebat, eo fine, ut hanc censuram vere ab eadem fuisse latam certior foret: cum vero id, quod petebat, impetrare desperaret, suas annotationes ad Antonium Sabbonium Fratrum Minorum in Flandria Provinciale transmissit, eidem hæc significans: „diu hæsi suspensus, quid facerem, an omnino tacerem, an breviter ostenderem in his censuris nonnulla contineri manifestæ veritatis contraria. Ad tacendum me hortabatur tam antiquæ, tamque numerosæ Facultatis veneratio, quam rebus in Gallia turbatis ob nonnullos infirmos illæsam servari cupiebam, ne forte hæretici nostro studio abuterentur ad persuadendum populo, quod etiam profide differens audienda non esset, si in harum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

„harum propositionum nonnullis palam  
 „errasse ostenderetur: deinde cum unius  
 „communione finis, & ejusdem cor-  
 „poris membra, summopere cavendum  
 „judicabam, ne quisquam nostrum ab  
 „altero læderetur. Ceterum ad respon-  
 „dendum impellebat tum veritatis Ca-  
 „tholicæ, tum illorum Fratrum inju-  
 „ria, quos propter veritatem passim cum  
 „Ecclesiæ detrimento infamari sentie-  
 „bam prætextu harum censurarum, quas  
 „tamen non dubito aut supposititias esse,  
 „aut certe per æmulos Sorbonæ Pari-  
 „siensis in quorundam subversionem non  
 „satis bonis artibus ipsis insciis clam  
 „extortas. His igitur rationibus ad-  
 „ductus pauca quædam annotavi tam  
 „circa propositiones, quam circa cen-  
 „suras earumdem, quæ si tibi proba-  
 „buntur, vestra paternitas poterit eis  
 „legenda permittere, quibus judicabit  
 „sine cujusquam injuria posse prodesse:  
 „sin vero minus, licebit exiguo chartæ  
 „detrimento suppressere.

## §. LVII.

*Censuræ Articuli a Bajo partim ap-  
 probati, partim rejeçti.*

**H**æ Baji annotationes in censuram *Baj. p. 10.*  
 Sorbonicam Anno Domini millesimo  
 quingentesimo sexagesimo in publi-  
 cam lucem prodire: cum vero alter-

Ss 4

catio-

Sæcul. XVI  
A. C. 1560.

cationis ardor indies magis effervesce-  
ret, illæ non sine magna aviditate le-  
gebantur, & quidem nonnulli id fa-  
ciebant, ut Auctoris innocentiam vin-  
dicare niterentur, alii vero idipsum  
agebant, ut plures in eo errores omnino  
damnandos detegerent. Porro anno-  
tationes erant hæ, quæ sequuntur: circa  
primam propositionem Bajus explicata  
voce: *liberum*. inquit: libertas dunta-  
xat opponitur servituti, non autem ne-  
cessitati: nihilominus sese censuræ sub-  
mittebat, falsus, quod in Sacris lite-  
ris plures reperiantur textus, per quos  
demonstrari valet, quod libertas per in-  
differentiam ad agendum, & non agen-  
dum explicari possit.

Ad secundam propositionem Bajus  
affirmabat, quod ingens discrimen de-  
tur inter libertatem *Philosophicam*, & eam  
juxta S. Scripturæ sensum acceptam,  
nam libertatem primam necessitati, al-  
teram vero servituti dicebat oppositam,  
ex quo idem inferebat, quod censura  
fit æqua, ac legitima, si libertatis vox  
in primo sensu accipiatur, qui est idem,  
quem ei attribuunt Theologi: immerito  
autem a Facultate Parisiensi se damna-  
tum assererat, eo quod eandem vocem  
in secundo sensu Sacris literis sat fami-  
liari acceperit: hanc in rem Bajus alle-  
gabat D. Augustinum in suo *Enchiridio*  
cap.

cap. 105. necnon in libro de correctione,  
& gratia cap. 4. & 12.

Sæc. XVI.  
A.C. 1560.

Circa tertiam propositionem ait, quod censura sit æqua sit, nisi fortasse is, a quo hæc propositio manasse putatur, actum liberum de ea libertate intelligat, qua Christus nos liberavit: talem enim actum non potest voluntas humana, qualis nunc est, ex se præstare, sed solum ex ea, quam nobis Filius impertit, libertate.

Ad quartam propositionem observat, quod illa quamvis duas habere partes videatur etiam juxta censuræ annotationem, reapse tamen unam solummodo contineat, cum hæc duo, quod liberum arbitrium ex seipso tantum peccare possit, & omnis actio liberi arbitrii sibi relicti sit peccatum, sint omnino idem: porro ibi id, quod in propositione septima continetur, etiam reperiri inquit Bajus, & postea Bajus citatis pluribus textibus concludebat, quod omnes actiones sine gratiæ auxilio factæ sint peccata.

Agens de quinta propositione distinguit Infideles a fidelibus, inquit, quod hæc regula: *Deus infallibiliter adjuvat illum, qui facit omne, quod est in se*, falsa sit, si de infidelibus intelligatur: si vero accipiatur de fidelibus, tunc melius, quod pie vivant, quia Deus

S s 5

est

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
est in illis, diceretur, quam si assereretur, quod sint iusti, quia faciunt id, quod in ipsis est: de cetero meram esse quæstionem de nomine, nec propter illam quempiam hæresis postulandum existimabat.

Primam partem sextæ, quæ duas continet partes, innixam ait testimonio D. Anselmi dicentis in cap. 2. libri de libero arbitrio, *quod Deus, & Angeli peccare non possint, quamvis sint liberi, quia peccandi facultas non est de ratione libertatis.* Insuper Bajus contendit, quod altera propositionis pars perperam damnetur tanquam hæretica, eoquod, si in suo sensu dici potest, Deum permittere peccatum, nobisque dedisse voluntatem, quæ peccatum committendi facultatem importat, dici tamen nequeat, quod posse peccare sit vera potentia, cum econtra posse non peccare veræ potentia, quam Deus dedit Angelis, & concedit Beatis, rationem habeat.

Septimam sic explicat: „vera est „mea propositio, & innititur huic Regulae, quod gratia, vel Dei auxilium „sit homini necessarium, ut is peccatum, non modo per longius tempus, „sed etiam in omnibus suis actionibus, „caussis, cogitationibus, & motibus vitet: porro id ipsum antiqui Patres „docuerunt adversus Pelagium; *nam lex,*

„lex, inquit ille, *sive gratia non minuit* **Sæcul. XVI,**  
„peccatum, *sed facit illud abundare, quia* **A. C. 1560.**  
„lex *sine gratia occidit.*

Circa octavam Bajus lectores remittit ad annotationem, quam in secundam fecit, ubi eam a se satis explicatam dicebat. De nona propositione Bajus observat, quod homo in timore constitutus non habeat plenam, & perfectam fidem, necnon ille, qui nondum peccatorum suorum remissionem obtinuit, uti Cornelius, facere possit actiones præmio dignas.

Decimam Bajus explicat accipiendo vocem *charitatis* pro tota bona voluntate, affirmatque, quod in hoc sensu fideles dici possent, qui nondum quidem remissionem suorum peccatorum obtinuerunt, se tamen convertendi propositum conceperunt, ac præterita peccata detestantur, Deum amare incipiunt, & saltem charitatis initium habent.

Circa undecimam statuit, quod ea nec hæresin, nec schisma sapiat, sed potius fideles ad majus erga Ecclesiam obsequium inducat, quatenus illos movet, ut ad illam, ejusque Sacerdotes pro obtinenda suorum peccatorum absolutione recurrant.

Ad duodecimam inquit, quod is, quicumque centesimam octogesimam S. Augustini epistolam, quæ de fuga in per-

Sæcul. XVI. A.C. 1560. persecutionibus agit, perlegerit, certe in dubium non sit vocaturus, extra necessitatis casum Sacerdotis ministerium pro obtinenda peccatorum remissione requiri, & contrariam propositionem favere erroribus Lutheri, & Wiclefi, dicentium, quod externa confessio sit superflua, & peccatori contrito nullum afferat fructum.

De decima tertia fatetur, quod jure sit damnata, si per vocem *Justificationis* intelligatur peccatorum remissio juxta communem Scholarum usum: putat tamen, ab hujus propositionis Authoribus duntaxat statui, quod ante primam gratiam nullus sit in homine bonus liberi arbitrii usus, in hoc autem sensu propositionem censura notari haud posse existimat.

Circa decimam quartam asserit, quod propositio hæc generaliter sumpta: *gratia non datur nisi illis, qui ei resistunt*, falsa sit, quia hoc nonnisi de prima gratia, per quam hominis voluntas mutatur, dici potest.

Circa decimam quintam affirmat, quod Sorbonæ Doctores, si attendissent ad duas Joannis de Mercurio propositiones, necnon ad decimam quartam, & decimam quintam, ab ipsis Anno millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, censuris notatas, tunc statim depre-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

deprehendissent, quod tunc ratum habuerint id, quod nunc tanquam hæreticum damnant: de cetero, agebat, quando dixi, quod actus, in quem quis necessario fertur, sit illi peccatum, non intelligo illud de propria aliqua specie peccati, sed particulari aliquo opere, quod ita ab aliquo fit ex necessitate, ut tunc, quando illud facit, non sit in agentis potestate illud omittere: hanc in rem adducit Bajus exemplum homicidii a Phrenetico, ebrio, vel ignorante commissum, siue illius necessitas afficiat voluntatem antecedentem, siue id non fiat, dummodo non sit involuntarium, nec contrarium voluntati agentis; nam D. Thomas affirmat, quod pura ignorantia non excuset a peccato, dummodo actio non sit involuntaria.

Circa decimam sextam inquit, quod is, qui adeo temerarius esset, ut Beatam Virginem, Sanctosque, qui cum Christo regnant in cælis, nondum a peccato originali esse exemptos affirmaret, absque dubio ab universo orbe tanquam hæreticus condemnari mereatur: cum autem nemo adeo insaniat, ut hoc dicere, imo cogitare audeat, hinc, addit Bajus, per artificiosam calumniam mea propositio taliter fuit proposita, ut condemnari potuerit, iique hæretici dici possint, qui Beatam Virginem

ginem

sæcul. XVI.  
A. C. 1560. ginem in peccato originali conceptam afferunt. Postea ostendit, quod ille, qui id propugnat, hæreticus non audiatur, cum hic de immaculata Conceptione articulus non sit de fide: quam in rem recitat quandam Concilii Basileensis decisionem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono factam, eamque impugnat per Bullam Sixti IV. qui hujus decisionis nullam habendam esse rationem affirmat, eoquod Sedis Apostolicæ auctoritas non accesserit.

Ad decimam septimam observat, sibi mirum videri, quod Sorbonæ Doctores primam hujus propositionis partem non perstrinxissent, cum in propositione septima ut falsum pronuntiaverint, quod opus hominis pure infidelis sit peccatum; si enim præcepto adstringimur, ut omnia propter gloriam Dei faciamus, nonne, inquiebat Bajus, necessario sequitur, quod omnis actio hominis mere infidelis sit peccatum, quia talis nihil operatur in gloriam Dei, cum Deum ipse prorsus ignoret.

Denique circa decimam octavam propugnat, quod omnis Dei præceptorum observatio vitam æternam promereatur juxta illa Christi Domini verba Matth. 19. v. 17. *Si vis ingredi vitam, serva mandata.* Postea provocat Parisienses Doctores, ut unicum duntaxat  
textum

textum ex S. literis producant, quo Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.  
contraria stabilitur doctrina: inde vero  
concludit, quod magis proni fuerint ad  
damnandum, quam ad docendum, cum  
tamen docere proprium sit Doctoris  
officium.

§. LVIII.

*Adrianus Metayer a Facultatis con-  
sortio exclusus,*

**D**ie vigesima sexta ejusdem Mensis Argent.  
t. 2. p. 288.  
Julii Facultas rursus conventum  
habuit propter quoddam Senatus edi-  
ctum, quod ad preces Adriani Metayeri  
feu Melloris ex ordine Fratrum Eremitarum  
D. Augustini Doctoris, qui juri-  
bus suis restitui postulabat, die vigesima  
septima Junii fuit promulgatum. Itaque  
Facultas quibusdam testimoniis, quæ  
nobiles viri Stephanus Prudhomme,  
& Stephanus Patris, in supremo Senatu  
Rothomagensi consilarii, & Frater Tho-  
mas Laurentius Doctor Theologus, ac  
generalis fidei inquisitor contra præ-  
fatum fratrem Adrianum fecerant, probe  
inspectis, attentoque diplomate Julii  
tertii summi Pontificis, quo præcipitur  
dictæ facultati, ut neminem, vel etiam  
de hæresi suspectum in suum consortium  
admittat, & admissum sine strepitu  
judicii a suo consortio ejiciat, aliisque  
omnibus visis, & mature consideratis,  
quæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

*Vid. lib.*  
*CXLII.*  
*§. 15.*

*Argent.*  
*pag. 289.*

quæ videnda, & consideranda erant, pronuntiabat dictum fratrem Adrianum in consortium dictæ facultatis non admittendum, prout eum non recipit, nec admittit, illum tamen fraterne hortatur, ut ad Conventum suum se conferat, ibidemque sancte, & Religiose conversetur, ut ejus conversationem omnes possint imitari, sicque contra eum jure exorta sinistra suspicio, quæ de eo ob Religionem fuit concepta, omnino sopiatur: porro jam alibi ipsas retulimus propositiones, propter quas hic Doctor a Facultate fuit proscribitus.

§. LIX,

*Alicæ ejusdem Facultatis censura.*

Eadem Facultas die vigesima sexta Mensis Octobris quinque alias damnabat propositiones, quæ a Guilielmo Bosseto Bisuntinæ Ecclesiæ Canonico ad Facultatem fuerunt delatæ, & mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Sacramentorum necessitatem, fidemque Catholicam concernebant, earumque prima erat hæc: *Julius Cæsar æque perfectus erat, ac Christus Dominus.* Censura: hæc propositio est impia: blasphema, hæretica, & abominanda.

II. Sanctissima Trinitas est veluti subligaculum, quod ex triplici sutura compositum nonnisi unicam vestem efficit.

cit. Censura: Hæc propositio adeo est <sup>Sæcul. XVI.</sup> impia, & in Sanctam trinitatem blasphema, <sup>A.C. 1560.</sup> ut prorsus sit execranda & nefanda.

III. Non requiritur Baptismus in infantibus. Censura: Hæc propositio est vehementer suspecta de hæresi negantium Baptismum parvulis esse ad salutem necessarium.

IV. Contemnenda est confessio, communio, & adoratio Corporis Christi. Censura: Hic contemptus Sacramenti Confessionis, & susceptionis Corporis Christi, nec non adorationis ejusdem, consideratis hisce circumstantiis, indicat hujusmodi hominem esse hæreticum, & Sacramentarium.

V. Agit de fide, & Inquisitorum censuris, quibus quædam propositiones tanquam erroneæ, & hæreticæ damnabantur; verum hæc propositio sine censura fuit relicta, eoquod de Authoris sensu, ac mente haud constaret.

Postmodum in eadem Congregatione oblatus est prædictæ Facultati aliquis liber, qui inscribitur: *Polygraphia* Joannis Trithemii, hujusque libri condemnatio petebatur, atque audita super hoc deliberatione Facultatis, conclusum fuit, eoquod Gallico sermone conscriptus esset dictus liber, nihil ad facultatem attineret.

Ceterum hic Trithemius Monasterii Spanheimensis Abbas erat ex Ordine

*Hist. Eccles. Tom. XLIII. Tt S.Be-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

S. Benedicti in Moguntina Dioecesi: postea vero Herbipoli ad D. Jacobum in Abbatem eligebatur, eratque vir scientiis tam divinis, quam humanis clarissimus, qui præter alios tractatus scripsit librum de illustrioribus Scriptoribus Ecclesiasticis, quorum octingentos, ac septuaginta recenset: insuper elucubravit alium etiam Catalogum de celebrioribus Germaniæ Viris, ac denique tertium de Ordinis S. Benedicti Religiosis. Ceterum propter sex suos libros de Polygraphia, & alium de Steganographia de Magia suspectus habebatur, quinimo per summam injuriam spargebant nonnulli, quod commercium cum dæmone habuerit.

§. LX.

*Universitatis postulata in Concilio Tridentino, & Aurelianensi conventu exponenda.*

Die secunda Novembris Parisina Universitas in Collegio Lexoviensi congregata decrevit, ut ex singulis ordinibus duo vel tres una cum Rectore & Nationum Procuratoribus mitterentur ad Episcopum Parisiensem, nam hic ad ipsam scripserat literas, quibus ea invitabatur ad Concilium generale tridentinum, & ad comitia trium ordinum Regni

Sæcul. XVI.  
A C. 1560.

Regni habenda Aureliæ. Postea Nicolaus Mallarius sacræ facultatis Decanus nomine sacris Ordinis, proposuit ea, quæ peterentur in Concilio Tridentino, & agitentur in Comitibus Regni, ac demum edicto Regio confirmarentur: porro hæc mense Januario postulata ad sequentes redigebantur articulos. I. Ea, quæ abolita sunt, restituantur. II. Reducantur Electiones, & penitus tollantur concordata; eoquod cum mutatione Pragmaticæ Sanctionis mutatus esset ordo Ecclesiasticus. III. Decimæ aboleantur. IV. Non permittatur Principibus aliquid haurire ex ærario Ecclesiastico. V. Tollantur Annatæ vulgo nuncupatæ *les Desports*. VI. Non liceat alicui Episcopo, aut Cardinali dare aliquod beneficium retenta pensione. VII. Episcopi nihil accipiant, aut petant pro Ordinibus, aut pro collatione beneficiorum. VIII. Non dispensent Episcopi in Matrimonio, neque permittant, ut Baptisma in cubiculis conferatur. IX. Non concedatur Episcopis incedere sine habitu decenti. X. Sacerdotes non colludant cum laicis tota nocte, nec impendant operam chartis. XI. Tollantur mulctæ, & si plectuntur aliqui iuste, mulcta convertatur in usum pauperum. XII. Non temere ferendum est gladio spirituali, neque tam

T t 2

cito

Sæcul. XVI. cito excommunicationes decernantur.  
A.C. 1560. XIII. Nusquam quis excommunicetur,  
 nisi pro peccato mortali. XIV. Concu-  
 binarii non tolerantur. XV. Nomina-  
 tiones Regis sunt occasiones ruinæ Ec-  
 clesiasticæ. XVI. Non liceat Episcopis  
 incedere in supplicationibus publicis, nisi  
 Missam celebraverint. XVII. Nullus  
 in fide suspectus instituitur, & illis, qui  
 sunt jam suspecti, priventur. XVIII.  
 Profiteantur Judices fidem in Paschate  
 coram populo, nec recipiant clancu-  
 lum Corpus Christi &c,

§. LXII,

*Regii advocati oratio in Ordinum  
 comitiis Andegavi habita.*

*Argentre  
 pag. 29. 1*

**P**ariter ad Theologicam Facultatem  
 deferebatur Francisci Grimodati  
 Regii Advocati Andegavensis oratio  
 Parisiis aqud Fridericum Norelum ty-  
 pis impressa, cui sequens titulus: *Sup-  
 plicatio ad Andegavenses Ordines per Fran-  
 ciscum Grimodatum Regis Advocatum An-  
 degavi facta.* Habita fuit hæc oratio in  
 Andegavensibus comitiis die decima  
 quinta Octobris Anno Christi millesimo  
 quingentesimo sexagesimo: præcipue  
 autem illius Auctori crimini dabatur,  
 ab eo in suo sermone fuisse propugna-  
 tum, quod Concilium Generale, ut sit  
 legitimum, non tantum ex Episcopis,  
 & iis

& iis Presbyteris, qui juxta Bullam <sup>Sæcul. XVI.</sup> A.C. 1560.  
 indictionis Pii IV. eodem anno factam,  
 sicut & præcedentes Bullas in Conciliis,  
 & speciatim in tridentino vocem deli-  
 berativam habent, & hætenus habue-  
 runt, constare debeat, sed ex omnibus  
 laicis, ita ut Concilium Tridentinum,  
 nisi omnes laici congregentur in eo,  
 non foret legitimum, ac haud subsiste-  
 rent ea, quæ hætenus ipsis non con-  
 vocatis fuerant definita circa fidem, &  
 disciplinam; cum non ad Ecclesiasticam,  
 sed ad secularem potestatem pertineat  
 Conciliorum totius Christianitatis con-  
 vocatio, & Ecclesiasticæ disciplinæ re-  
 formatio; Tridentinum autem non fue-  
 rit a sæculari potestate congregatum.  
 Hæc temere prolata omnino censuris  
 esse perstringenda credebantur,  
 quamvis hæc oratio nonnisi  
 anno sequenti fuisset  
 damnata. (\*)



(\*) Argentreus autem affirmat: quod cum  
 hæc oratio fuisset typis mandata, & ubique spar-  
 sa, eaque abuterentur Calvinistæ, eam suppri-  
 mendam esse censuerit Sacra Facultas.